



1692.

1. Berger, Jo. Henricus : De jure venandi feras.
2. Berger, Jo. Henricus : De reformatione divisionis extrajudicialis ex ~~causa~~ causa medicae laesionis.
3. Berger, Jo. Henricus : De potestate personae publicae in se ipsam.
4. <sup>1. 6</sup> Brendel, Joh. Kasper : De fructibus - ratione possessionis perceptis. 2 Exempl.
5. Pathe, Hieronymus : De liberarum imperii civitatum potestate majestatis aemula.
6. Haendelius, Christoph. Christianus : Vana scienti gloria: sive invidi hominis cum literato comperatio.
7. <sup>a</sup> Horn, Kasp. Henr.; Decanus collegii Fetorum : ad orationem solemnem... In. Marci Dornhüth. ...  
7b. <sup>1. 6</sup> Horn
8. <sup>a</sup> Hornius, Caspar Henricus : De juribus aeternorum. 2 Exempl.
9. Hornius, Caspar Henricus : De permissa judicii sententia gratuita.



1692

10.<sup>a</sup> = Hornius, Caspar Henricus: Semel malum semper  
malum -

10.<sup>b</sup> = Hornius, Caspar Henricus: De semel malo semper  
malo tractatus academicus.

11. Horniceus, David: Cartesianum a scepticis non  
vindictum ... ulteriori eruditorum iudicio  
dicitur.

12. Fory. Michel, Joh. Kaspar: De studiosis eorumque  
privilegiis

13. Luedcke, Friedr. Augustus: Lectori benevole (ad  
lectiones juris Romani iuribus.)

14.<sup>a</sup> = Luedcke, Friedr. Augustus: Selectionum controversiarum  
exercitatio I ad 8 tit. priores libri I  
institutionum imperialis.

14.<sup>b</sup> = Luedcke, Friedr. Augustus: Selectionum controversiarum  
exercitatio II ad tit. 9, 10, 11 et 12 libri I  
institutionum imperialis.

14.<sup>c</sup> = Luedcke, Friedr. Augustus: Selectionum controversiarum  
exercitatio III ad tit. 13 et sequentes libri I inst. imp.



1692

- 14<sup>2</sup> Luedcke, Frieder. Augustus: Selectiorum controversiarum exercitatio IV ad 3 priores Tit. Libri II inst. imp. imperialis.
- 14<sup>c</sup> Luedcke, Frieder. Augustus: Selectiorum controversiarum exercitatio V ad Tit. 4. 5. 6. 7. 8. et 9. Libri II inst. imp.
- 14<sup>f</sup> Luedcke, Frieder. Augustus: Selectiorum controversiarum exercitatio VI ad Tit. 10 et seqq. usq. ad 18 Libri II inst. imp.
- 14<sup>g</sup> Luedcke, Frieder. Augustus: Selectiorum controversiarum exercitatio VII ad Tit. 18 et reliquos Libri II inst. imp.
- 14<sup>h</sup> Luedcke, Frieder. Augustus: Selectiorum controversiarum exercitatio VIII ad Tit. 15 priores Libri III inst. imp.
- 14<sup>i</sup> Luedcke, Frieder. Augustus: Selectiorum controversiarum exercitatio IX ad Tit. 16 et seqq. usq. ad 26 Libri III inst. imp.
- 14<sup>k</sup> Luedcke, Frieder. Augustus: Selectiorum controversiarum exercitatio X ad Tit. 6 et seqq. usque ad 15 Libri IV inst. imp.
- 14<sup>l</sup> Luedcke, Frieder. Augustus: Selectiorum controversiarum exercitatio XI ad Tit. 15 et reliquos Libri IV inst. imp.



1692.

15. Luedcke, Frieder. Augustus: De rebus-cultationis  
exemptis.

16<sup>ant</sup> Panerius, Nicol: De promissione utriusque  
sortis. 2 Exempl

17. Roehrensen, Christianus: De lege civili.

18. Roeschelinus, Joh Baptista: De conscientia

19. Seebach, Henric. Ernestus: De ratione status  
privati.

20 Strykius, Samuel: De jure illustrium et nobilium  
communium.

21. Strykius, Samuel: De acquisitione iustitiae digni-  
tatis.

22<sup>ant</sup> Strykius, Samuel: De feudo pignoratitio.  
2 Exempl.

23<sup>ant</sup> Strykius, Samuel: De matrimonii nullitate.

23<sup>6</sup> Strykius, Samuel: De matrimonii nullitate.

24 Suenius, Gotofredus: Dissertatio in iur. justiti-  
liam mandata sereniss. elector. Joann. Joh. Georgio.  
J. dato 7. sept. 1691. 18 Feb. a. 1691, exhibens.



1692.

<sup>a</sup>

25. Weidenmaier, Elias: De convocationibus ac Directoribus,  
7 quatuor priorum conventuum oecumenicorum. . . . .

26. Witte, Hermann: De cursore publico.

7 25<sup>b</sup> Wernsdorff


















4793

Q. R. B. V.

1692 *M* 34. 100

SEMEL MALUM  
SEMPER MALUM.

13

*Copiâ à Superioribus factâ,*

PRÆSIDE

DN. CASPARO HEN-  
RICO HORNIO (8)

J. U. D. & Profess. Publ. Curia Electoral. Scabinatus  
ac Facultat. Juridic. Assessore,

*Patrono ac Præceptore suo omni hono-  
re & obsequio colendo*

exhibet

Die III. Aug. ANNO M D C XCII.

AUTOR & RESPOND.

SEYFRIEDUS LEUPOLDUS

Reutt. Spremb. Lusat.

VVITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHII,





V I R O  
NOBILISSIMO, CONSULTISSI-  
MO atq; DOCTISSIMO,

DN. JOH. HENRI-  
CO MUDRACHO

FACTO AMPLISSIMO

SERENISSIMI DUCIS

SAXO-COBURGICI

PRÆFECTO NEUSTADII ad  
HEYDAM

SOBRINO & PATRONO SUO

HONORATISSIMO

DISPUTATIONEM HANC CONSECRARE & DEDI-  
CARE VOLUIT.

SEYFRIDUS LEUPOLDUS

REUTEN-SPREMB. LUSAT.





## CAPUT I.

Fontes hujus materiæ indicans: & cur quilibet præsumatur bonus?

§. I.



Uti de confirmatione, per quam argumentando nostræ causæ fidem, autoritatem & firmamentum adjungimus, commentati sunt Rhetores & Jcti, veterem illam ab Aristotele Lib. 1. Rhetor. 2. traditam & ut Quintilianus Lib. 1. c. 1. docet jam ejus tempore omnibus ferè probatam divisionem argumentorum suam faciunt, quæ alia ἐντελεια, alia ἀτελεια esse dicuntur. Hæc sunt, quæ ad Oratorem aut alium qui probare vult ad fidem faciendam ex rinsecus adferuntur, veluti tabulæ, testes, quæstiones, jusjurandum, quibus & Aristoteles Lib. 1. Rhet. 1. 15. & Cic. L. 2. de Orat. & Leges accensent, quas tamen omittit Quintil. L. 5. 7. O. c. 2. Atque inartificialia dicuntur, non quod sine arte tractentur cum allata fuerint, sed quod ad ea invenienda licet maxime quæsieris ars Oratoris, quæ tamen, nihil prodest. Illa sunt, quæ in eo ipso de quo agitur hærent, & arte probantis sive confirmantis eruuntur. Quæ Genera Cic. in Topicis & alibi ita distingvi solet: ut posterius proprio vocabulo argumentum nominet, prius verò in testimonio positum esse dicat.

Argumentorum divisio.

Inartificialia quænam?

Artificialia quænam?

§. II. Artificiales porrò atgmentationes ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum petuntur. Atque vel necessariæ sunt, vel probabiles. *Necessario*, Tullius inquit, demonstrantur ea, quæ aliter ac dicuntur nec fieri nec probari possunt. *Necessario* Græci ἄναγκηστικὰ vocant, qualia sunt quæ ex Physicis & Mathematicis Principiis petuntur, e. g. si peperit, cum viro concubuit. *Probabilia*,

Artificiales argumentum.

Necessario probabilia,

probabilia.



babile verò est, quod ferè fieri solet, aut quod habet in se ad hæc quandam similitudinem sive id falsum, sive verum. Quæ omnia latius exequitur & partes distribuit Cic. Lib. 1. de Invent. Nobis in præsens his diutius immorari, neque etiam ad fontes, ex quibus argumenta profluunt, propius accedere licet, qui à Dialecticis & Rhetoribus potissimum indicantur, quorum de locis Argumentorum referti sunt libri. Inter cæteros v. M. T. Cic. Lib. qui Topica inscribitur, omnem inveniendi rationem copiose & summò studio persecutus est; qui cum ad Trebatium Ictum scriptus sit, exempla etiam ex medio jure civili sumpta exhibeat, extra omne dubium illis, qui in foro occupantur, maximam afferre potest utilitatem.

*Præsumtio unde oritur.*

§. III. Quemadmodum autem ex necessaria argumentatione plena fides fit ei, cui res probanda: ita ex probabili præsumptio oritur, ex qua quis rem donec aliud probatur, interim pro vera habet. Bachov. ad Wesenb. Tit. de probat. §. 14.

*Præsumtio quotuplex?*

§. IV. Argumentatione ista probabili vel Legis Lator est usus. non e. usus: Si prius, præsumptio inde orta LEGIS vocari solet; si posterior, HOMINIS. Prior ubi adest, Legislator ratiocinatur ipse & concludit, & hoc l. tantum, vel simul etiam ob fortissimas rationes de præsumpto tanquam sibi comperto, disponit. Si tantum ratiocinatur & concludit præsumptio inde nata vulgò vocatur *Juris*: Si verò simul quoque disponit, *Juris & de jure* audit penes interpretes, quia à Lege introducta & super ea firmum Jus Lex induxit.

*Præsumtio Juris & Juris & de jure.*

Utriusque exempla passim occurrunt in jure nostro & illius quidem in §. 11. Instit. de inutili stipul. l. 9. l. 24. ff. de probat. l. 16. ubi Synchronus C. de probat. l. 2. §. 1. ff. de pactis. Hujus verò in l. fin. Cod. Arbitr. tutela l. 34. C. ad L. Jul. de Adulteriis l. f. C. ad Senat Macedon. l. 15. §. Si pignora. ff. de Re Jud. Bach. ad Treutl. vol. 2 Diss. 4. lit. D. Alciat. de præsumt. in præl. p. 2. n. 3.

*Utriusque effectus.*

§. V. Utraque gaudet suo effectu. Illa relevat ab onere probandi & pro veritate habetur, donec contrarium ab adversario in quem hoc onus transfert, probatum sit. L. 74. ff. de Leg. l. l. unic. C. de error. Calcul. l. 5. ff. de probat. vel specialiori quadam & fortiori præsumptione elidatur. l. 80. ff. de Reg. Jur. l. 5. §. a. barbaris ff. de re mili Wes. Tit. de præsumt. n. 16. Menoch. L. 1. q. 30. 31. 33. Admittit ergo contrarii probationem §. 11. J. de Inutil. stipulas. l. 24. 25. de probat. l. 137. ff. de Verb. oblig. l. 16. C. de probat. c. 10. X. de



X. de *presumpt.* Hæc fortior est, & quia autoritate juris simul dis-  
ponentis nititur non tam præsumptio amplius, quam potius legis  
dispositio est dicenda, eaq; adeo vix ac ne vix quidem ullam faculta-  
tem probandi contrarium concedit, si maxime adversarius onus hoc  
in se suscipere vellet. *d. l. f. C. Arbitr. Tut. c. 15. quid fidem X. de spon-  
sal. Menoch. de præsumpt. l. 1. qu. 3. n. 18.* nisi fortasse confessio ju-  
dicialis & notoria veritas & ipsius rei evidentia aliud demonstret.  
*Struv. Ex. 28. d. 19. Zasius n. 16. tit. de prob.*

*Præsumptio  
hominis.*

§. VI. Dari tamen uti dixi, etiam possunt argumentationes,  
quibus non est usus Legislator, quæ tamen nihilominus præsum-  
tionem ingenerant animo humano, qualis præsumptio *ideò homi-  
nis* vocatur. Sed rectius fortasse in Juridicina *Judicis*, vocaretur,  
cum privati hominis præsumptio, ubi de probando, condemnan-  
do, vel absolvendo in judicio agitur, nulla sit. *Judicis* inquam,  
qui ex rationibus quibusdam movetur, ut deficiente etiam lege rem  
ita se habere credat, qualem ipse ex argumentis colligit, donec de  
alio constet. Exemplum peti potest *ex I. Reg. II. & III. it. l. 32. ff. de  
minor. ex quo ultimo loco & illud simul patet: communem effe-  
ctum cum præsumptione Juris ipsi esse, & sic probationem contra-  
riam admittere & probandi onus in adversarium transferat Me-  
noch. de Præf. L. 1. q. 5. n. 18.* Id tamen quod de translatione one-  
ris probandi dictum, ita capiendum est, si modò ex argumentis  
fortioribus non levioribus præsumptio nata sit: Non enim ex o-  
mnibus locis ejusdem ponderis argumenta ducuntur. Sic liberum  
esse, cujus pater liber est, ingenuum esse cujus fratres ingenui, nul-  
la firma collectione effici potest, ex qua præsumptio oriatur, quæ  
contrarium probandi onus in adversarium transferat, licet quale  
quale adsit indicium. *l. 10. 17. C. de probat. Wesenb. Disp. 43. th. 15.*  
Etsi verò omnis illa præsumptio, quam lex approbavit à Doctoribus  
violenta dicatur, ita ut semper onus probandi transferat in adver-  
sarium *Baldus in l. si ve possidetis n. 5. C. de probati.* Negandum  
tamen non est, & hanc non semper esse æqualem, & modò magis  
modò minus vehementem. Illo ergo casu majorem probationem  
contrarii requirit, hoc verò leviori contenta est, *Abbas in c. 4. n. 2.  
de præsumpt.* Ipse itaque prudens judex æstimabit, quæ, qualis,  
quanta præsumptio ex argumento proposito nasci possit, cui &



interdum ex pluribus conjunctis præsumptionibus si singula non  
sufficiant, fides fieri potest. *arg. l. 3. ff. de Testibus l. 5. 6. G. de probation.*  
*c. 1. 3. X. de probat. Barbosa Thes. c. 56.*

*Transitus,*

§. VII. Ex hisce fontibus fluit amplissima illa præsumptio-  
num materia, per universum jus diffusa, quæ interpretibus non  
parum negotii fecit & spissis commentariis præbuit occasionem.  
Sed de ea licebit alias. Nunc id agamus, quod institutum postulat.  
Sc. animum subit unicum saltem inexhausti illius præsumptionum  
maris rivulum accedere, quo axioma sequens: *Qui semel malus*  
*semper præsumitur malus*, continetur; percontaturus quid in re-  
cessu habeat. Cum verò prævideam, parum felicem successum  
esse sperandum nisi & illud axioma: *Quemlibet præsumi bonum*, sub  
examen redigatur: in illud primum inquirendum esse censeo. Non  
deerit spero operæ pretium, cum in genere judiciali & statu con-  
jecturali præsertim utriusque axiomatis maximus sit usus, quod ex-  
perientia quotidiana abunde testatur. Antequam autem rem ipsam  
aggrediar de eo ante omnia constare debet, quis *Malus* hic loci no-  
bis dicatur; quod sua sponte patebit si modo dixerimus quis *bonus*  
habeatur. *arg. pr. l. de His qui sui l. ali. jur.*

*Bonus quis  
dicatur?*

§. 8. Optime autem quis bonus sit explicat Cic. *Lib. 5. Tusc.*  
*quest. c. 10.* quando dicit. *Omnibus virtutibus instructos & orna-*  
*tos cum sapientes, tum viros bonos dicimus & L. 3. de Offic. c. 15.* E-  
*xtremò Vir bonus est, is qui prodest quibus potest, nocet nemini. Cui*  
*Horat. l. 1. Epist. astipulatur.*

*Vir bonus est quis?*

*Qui consultat patrum, qui leges juraque servat,  
Quo multa magna que secantur iudice causa,  
Quo responsore & quo cause teste tenentur.*

Erit itaque vir bonus ille qui omnes partes officii explet, qui vitæ  
integritatem tuetur perpetuo, nec cuiquam dolo vel culpa nocet,  
quin contra prodesse omnibus & cupit & studet, in quo consumma-  
ta est Virtus quæ in justitia posita in qua ut Cic. loquitur *virtutis*  
*splendor est maximus ex qua boni viri nominamur. Lib. 1. de Offic. quæ*  
*omnia egregie explicant quæ habet Ludovicus Vives L. 3. de Ani-*  
*ma c. 3. boni censentur ij, qui pie sunt officio suo perfuncti erga De-*  
*um, patriam parentes, principem, herum, amicos, liberos, neces-*  
*sarios,*



sarios, propinquos, familiares, socios, cives, peregrinos, quæ officio-  
rum ratio in humano genere patet latissimè: quando, ut rectè est à  
Tullio scriptum, nulla vitæ pars seu publica seu privata carere po-  
test officio. Habeantur proviris bonis, qui quam plurimis profue-  
runt, profunt, proderunt. Nam qui nobis, aut iis quos habemus be-  
nevolentia conjunctos profuit, etiam ritè fungi suo officio ducimus  
Et bonum esse virum.

§. IX. Etsi autem in jure nostro omnis omnino homo, qui  
secundum normam juris actiones suas metitur nullius fraudis con-  
sciens, sed integræ vitæ est, bonus vir dicatur l. 3. §. tametsi ff. de arbi-  
tr. l. penult. d. usufructu, quemadmodum caveatur l. 16. ff. de usu Et  
habet: & alibi passim. In sensu tamen specialiori ad judicem trans-  
fertur l. 177. §. 2. de Verbor. Oblig. l. 58. §. 1. ff. locat. l. 4. ff. Familie  
herciscunde. Nos non fugit aliis etiam significationibus gaudere  
hanc vocem, atque bonum interdum pro docto in aliqua re vel præ-  
stanti ut apud Tacit: Lib. 1. Annal. ibi Agrippa militia bonus: vel  
pro locuplete & eo qui solvendo, l. 26. §. 2. ff. mandati vel etiam pro  
nobili ut apud Florum Lib. 1. c. 7. accipi: Hæ tamen significationes  
hujus loci non sunt, sola prima in censum veniente, Facile autem  
ex dictis patet quis Malus hoc loco nobis dicatur, illum nempe qui  
partes officii non explet, vitæ integritatem non tuetur, culpa vel  
dolo nocet, nec publicè privatimque prodesse cupit ac studet, quos  
homines alias improbos sceleratos ac perditos vocare solent. LL. Dd.  
ad l. 3. ff. de Officio presid.

§. X. Particulam *semel* apud latinè loquentes unitatem actus <sup>to semel</sup>  
significare notissimum est: quamvis etiam interdum pro SUMMA-  
TIM apud Quintilianum & apud sequioris ætatis scriptores pro  
TANDEM usurpetur. Prior significatio huc pertinet quæ in jure no-  
stro sæpius occurrit: Sic quod semel Deo dicatum, non potest amplius  
ad humanos usus transferri c. *semel de R. J. 610.* quod se-  
mel placuit non potest amplius displicere c. *quod semel, eod.* se-  
mel duntaxat datur restitutio: l. 1. C. *si sæpius in integr.* semel bene-  
ficio inventarii tribuitur non amplius. l. *fin. §. sed quia C. de jure*  
*deliberandi.* Semel deniq; sufficit extitisse conditionem, l. *fecisse condi-*  
*sione, l. sita ff. d. manumiss: test. l. quidam ff. de fideicomm. liberta.*

§. XI. Particula *semper* est universalis affirmativa Tusch. Con- <sup>to semper?</sup>  
clus.



clus. 371. *Webner. observ. pract. in allerwegen* & lib. 1. in jeder Zeit. includit omne tempus, exponitur pro omni tempore & omni causa, ut in l. 1. ff. *solutio matrim. in l. 5. ff. de injus vocando Tusch. pract. Conclus. tom. 2. lit. D conclus. 371. n. 1.* non nunquam exponi solet pro perpetuo, & est nota perpetuitatis, ut in l. 5. ff. *de jure immunit. & in l. 13. §. 1. de aliment. & Cibar. leg.* Interdum temporis continuationem denotat, & exponitur pro quotidie vel assidue, ut in l. 1. §. 2. *verb. perenne est ff. de flumini.* quandoque accipitur pro multoties, frequenter, plerumque ut in l. 1. §. *semper, ubi glossa eodem verbo. ff. ut legatorum, & in l. 149. ff. de V S. plura de hac vocula vid. possunt apud Strauch. in Lexic. Particul. juris p. 300. & 309. quae omnes significationes hocce loco admitti possunt.*

Id præsumere.

§. XII. Non etiam sicco pede præterire debemus Id præsumere, quod in titul. *Dissertat.* subintelligitur atque partem facit axiomatum nostrorum. In nativo suo sensu idem significat ac *antecapere* vel *præcipere*. Qua significatione ap. *Cajum Lib. 2. tit. 5. §. 6. legitur & l. 1. C. de secundis nuptiis* atque hæc significatio Cicero- nis ævo verbi propria fuit. Atque hinc Rhetoribus etiam significabat *præoccupare*, qui præsumptionem vocabant, cum id quod in adversarii causa vel in iudicis opinione contrarium nobis esse aut fore arbitramur, præoccupamus dicendo & bonis rationibus dissolvendo. *Quint. Lib. 8.* Significavit tamen etiam eodem ævo, quandam actionem animi atque idem fuit ac *præfagire, conjectere, cogitare, colligere, seu divinare*, sub quo significatu ad Jctos venit, atque inde præsumptio dicta est, de qua antea fuit actum. Ulp. Jcto vox hæc idem etiam significat quod *putare, l. vulg. ff. de in litem jurando.* Denique apud *Sulpitium Severum Lib. 1. Hist. Sacr.* & alios sequioris ævi scriptores, alio sensu hanc vocem legimus, ut præsumere idem sit, quod *audere, moliri, occipere* & quidem in malam partem. Quæ ratio loquendi Pontificibus Romanis & Juris Canonici Interpretibus familiaris est. Plura de hac re addere non est opus vid. *Lexic. passim & cum illis Alciatus p. 2. præsumpt. n. 1. Vorstius de latini: merito suspecta e. 1. & c. 18.*

Axioma.

Quemlibet præsumi bonum.

§. XIII.



§. XIII. Axioma hoc *κατά τὸ ἐπίτερον* neque in jure Casareo, neque *Sedes pri-*  
Pontificio, me legisse memini: certum tamen est, quoad sententi- *oris axio-*  
am in utroque jure contineri, atque sic merito ad præsumptiones ju- *matris.*  
ris referendum esse *arg. l. 6. §. 1. ff. de V. S.* Allegari in hanc rem  
solent *l. 51. ff. pro socio l. 18. §. qui dolo ff. d. probat. l. 77. §. 25. ff. de*  
*Legat. II. L. 2. C. de offic. civ. jud. C. unic. X. de scrutinio in ordine fa-*  
*ciendo. c. 16. § c. pen. ultim. X. d. præsumpt. c. estote. X. de R. J. an-*  
*tiqui.* Interpretes id passim suum faciunt, ut videre est apud Ma-  
scard, *de Probat. C. 222. 224. c. 878. C. 1003. Menochium de Præs. l.*  
*5. præf. 3. n. 15. Pacianus de probat. c. 16. n. 17. § c. 53. n. 30. Tuscib.*  
*Tom. 1. l. 1. c. 123. Alc. de præf. L. 3. præf. 1. § 2. § A. Barbosam in The-*  
*sauro. l. 3. c. 30. axiom. 9.* aliosque quos hi allegant, quosve mole-  
stum esset enumerare. Rationem tamen illius sicco prætereunt  
pede tantum non omnes, rati fortè, illud ex eorum numero esse,  
quorum veritas se insinuat absque longa ratiocinatione intellectui  
nostro. De quibus Cicero dicit L. 1. de Invent: *Quæ propositio in*  
*se quiddam continet perspicuum, eò quod constare inter omnes neces-*  
*se est, hanc velle approbare & firmare nil attinet.*

§. XIV. Sed quoniam ita occasio fert ut incidamus in lauda-  
tum Juris Brocardicum, age, videamus, quænam solida illius ratio  
dari possit. Atque ut rem paucis expediamus, fundamentum in i-  
pâ hominis persona, & quidem ejus natura esse quærendum censeo.  
Animal hoc, ut Cicero alicubi loquitur, providum, sagax, multiplex,  
acutum, memor, plenum rationis, præclara quadam ratione gene-  
ratum est à supremo DEO. Solum enim est ex tot animantium ge-  
neribus, atque naturis particeps rationis & cogitationis, cum cæ-  
tera omnia sint expertia. Hæc ratio in facultate consistit res co-  
gnoscendi in natura sua, ex qua cognitione ulterius patescit, quo-  
modo voluerit Autor naturæ humanæ, ut actiones suas homo circa  
res componat. Cognoscit ergo homo beneficio rationis ducis  
optimæ, nihil eorum, quæ oculis usurpat, esse à se ipso, darique reve-  
rà summum aliquod ens, à quo omnia tanquam à prima causa de-  
pendent, esseque sic DEUM, & eum quidem, qui exercet regimen in  
universum mundum, nec ullum attributum in eum cadere, quod a-  
liquam imperfectionem involvat. Cognoscit porro, effectum non  
posse negare dependentiam à causa sua, aut si hoc fieret, eo ipso con-

*Cur quilibet præsumatur bonus?*

B

tradi-



traditionem in volvi. Ex quibus omnibus non potest non in intellectu humano hæc conclusio oriri: Deum omnium rerum causam, & effectricem & conservatricem, ens summum & perfectissimum ab omnibus esse colendum. Cognoscit porrò humanam conditionem omnibus æque competere, descendere omnes ex eadem stirpe, eodem modo nasci, vivere nutriri & mori: nec posse sine mutua hominum ope vitam commodè transigi, qua ex re mutua æqualitatem esse servandam colligit, ita ut quisque alterum hominem ita æstimet & tractet tanquam naturaliter sibi æqualem, si scilicet sibi nullum peculiare jus quæsitum; nec lædat alium, sed juvet eo modo, quo & ipse sibi juvare velit; seque societati studere debere, si salvus esse velit. Vocant hoc alias dictamen rectæ rationis, per quod ea præcepta divini Numinis innotescunt homini, quæ jus naturæ vocari solent.

§. XV. Omnes itaque homines ratione præditos esse tam certum est, ut qui rationem non plane exuerit omnem, negare id haud possit. Et si in nobis eam deprehendamus, in aliis quoque sit necesse est: nihil enim unum uni tam simile tam par, quam omnes inter nosmet sumus. Quibus autem ratio data est, iisdem & recta data est ab eo qui dedit, cum alias finis ob quem est ratio data, obtineri non potuisset. Si ratio & quidem recta ratio omnibus hominibus data, credibile est, omnes etiam, & si in se sentiant inordinatos ac in devia tendentia affectus male agere secundum rectam rationem, quam illam negligere & sic exuere humanam naturam, vel se ipsum infra hominis conditionem constituere. Est enim homini insita quædam delicata sui existimatio, cui detrahi nihil, addi verò sæpe cupit. Si credibile est, secundum rectam rationem hominem agere velle, prona consequentia est, etiam illum velle secundum præcepta juris naturalis facere bona, vitare mala. Ex ratione enim insita in natura lex illa patescit, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Si præsumendum quemlibet, secundum legem agere velle, sequitur quemlibet justum præsumi, sive quod idem est, Bonum. Pertinent huic ea quæ eleganter dicta sunt à Cicer. *Lib. 1. de Leg.* nobis latius hæc persequi non licet.

§. XVI. Non tantum autem hæc vera sunt, si respiciamus naturæ illud jus omnibus hominibus connatum: Verum etiam si  
ante



ante oculos tibi ponas positivas leges sive à Divina sive ab humana potestate profectas. Nam & id recta ratio postulat, ut ad illius voluntatem actiones meas dirigam, qui habet & ἐξουσίαν & δυνάμιν exigendi à me obedientiam, h. est cui justæ causæ sunt, ob quas postulare possit, voluntatis nostræ libertatem à suo arbitrio circumscribi, & qui etiam vires habet malum aliquod repræsentandi contra nitentibus. Atque cum de DEO hæc, dubio prorsus dici possint, concludere possumus, hominem, quicquid jussit is, quem pro Numine habet, etiamsi ratio humana quorsum ea pertineant non semper assequatur, servaturum esse, nec expositurum se iræ & indignationi divinæ, quæ non nisi malum pœnæ, quod natura humana penitus averfatur, conciliare potest. Quorsum pertinent quæ in L. f. C. ad Jul. repet. habent. Qui in civitate vivit, optimè novit, saltem nosse debet & potest, illi, qui τὸ κοινὸν tenet, eam potestatem esse concessam, qua jubere ea potest, quæ è re omnium sunt, & ad salutem communem necessaria, & vetare quæ hunc finem impediunt, atque pœnas statuere in refractarios: credibile ergo est, quemlibet etiam, qui finem vult, & media ad finem ducentia amplecti velle, atque evitare mala, quæ si secus faciat, illum non possunt non manere.

§. XVII. Atque hoc modo fundamenta axiomatis nostri ex saniori philosophia peti possint. Quod si autem ad regulas Christianæ religionis examinetur, tantum abest, ut tolerandum hoc axioma, ut potius contrarium plane: *Omnes homines infantes etiam, in quibus vix ulla intellectus vis se exerit, non presumi tantum sed revera esse malos*, videatur adstruendum. Enim verò Sacer Codex nos docet creasse immortalem DEum hominem ad sui imaginem, atque adeo bonum sapientia intellectus, sanctitate & justitia voluntatis ita ornatum, ut DEum rectè agnoscere & colere, omnes Legis partes explere, ac in optimo & integerrimo statu vivere potuisset. Non diu tamen duravit ista felicitas, sed per deplorandum Protoplastorum lapsum humana natura adeò corrupta est, ut *multam malitiam hominum esse in terra, & omne figmentum cordis ejus tantummodo malum esse omnibus diebus* Genes. 6. v. 5. dicatur, quod ipse Deus Gen. 8. v. 21. repetit. Cum quo illud convenit quod Psaltes Ps. 13. v. 3. & Ps. 53. v. 5. ingeminat. *Omnes declinaverunt*

*Movetur  
dubium  
ex S. S.  
Codice,*

B 2

*simul*



simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ut alia loca taceam quæ ex Ps. 5. v. 10. Ps. 36. v. 2. Prov. 2. v. 4. ad Roman. 3. v. 10. Eph. 2. 1. II. Cor. 3. 5. peti possunt.

Recensentur CC. re-  
sponiones,  
& rejiciuntur.

§. XVIII. Quis quæso ergo diceret, quemlibet præsumi bonum? Vident & movent hoc dubium moralis doctrinæ magistri, qui Pontificis castra sequuntur passim & inter illos A. Barb. L. XI. Thef. Pr. c. 10. illudque diluere contendit, quando cum Covarruvia in C. alma mater X. de sententia ex communicationis p. 1. §. 10. n. 11. Sot. de justitia & jure l. 3. qu. 4. Art. 3. Fel. c. fin. n. 15. de Præscript. aliisque docet, inclinationem ad malum, de qua loca allegata SS. accipiunt, in se peccatum non esse, & ideo non tollere, quo minus homo, qui bonus a DEO creatus & qui potentiam habet & aptitudinem ad bonum, jus habeat quoque à natura, ut apud alios in dubio sit in bona opinione Thom. 2. 2. q. 60. a. Placeant hæc iis, qui in verba Romani Præsulis jurarunt: nobis sane non placent, quibus excusso isto jugo clarior ex DEi gratia affulsit Evangelii lux. Nam verè Ecclesiæ nostræ docent, utique illam inclinationem naturæ ad malum, quam concupiscentiam alias vocant, peccatum esse. Art. 2. Aug. confessionis, ejusdem Apol. quod si ergo hypoth. hujus sententiæ infirma est, & ipsa non subsistit. Ut taceam non inclinare tantum ad malum homines, sed etiam esse malos, nec ullum facere bonum vel esse justum teste Scriptura. Quis ergo is postulare possit, ut pro bono habeatur, quem Spiritus S. malum dicit? Alii distinguunt inter hominem baptizatum & non baptizatum, voluntque solum in illo procedere axioma, in hoc autem minime, quippe in quo propter peccatum originale virtus animæ est destructa & cum nunquam reparata fuërit à sacramento Baptismi, semper destructam præsumendam volunt, atque sic judæum vel in fidelem pro bono nunquam habent. Ad quam sententiam docent Butr. in C. final. n. 11. v. quæro: An idoneus. X. de præsumpt. Archi-Diaconus in C. accusatur n. 5. Vol 5. Quæst. 5. Aliique quos citat Pacianus de probat. l. 1. c. 53. n. 35. 36. Verum & hæc sententia, ni fallor, illud sapit Pontificiorum dogma, post Baptismum legitime susceptum in totum tolli originale peccatum, ita ut in renato nullum remaneat contagii originalis malum Conc. Trid. sess. 5. quod nec etiam ferunt Ecclesiæ nostræ vid. D. Quenstedt. System. p. 2. c. 2. sect. 2. Qu. 12. atq;  
ex se-



ex sequent: apparebit & apud non baptizatos hoc axioma locum invenire, in quod jam olim inclinavit Bald. l. 1. n. 10. v. ultimo quaritur C. si omiſſa causa testam. nec alienus §. ab hac ſententia Pacian. d. l. n. 59.

§ XIX. Cum itaque hac non ſuccedat viâ, alia ingrediendum eſt. Nulla autem tutior monſtrari aut inveniri poterit, illa, quam Libri noſtri Symbolici Sacrum Codicem ſecuti nobis monſtrant. Quo autem minus ab iſta aberremus, operæ pretium erit ipſa Art. 18. Auguſt. Confess. ejusdem Apologiæ apponere. De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem juſtitiam & deligendas res rationi ſubjectas. Sed non habere vim ſine Spiritu Sancto efficiendæ juſtitie DEI, ſeu juſtitie ſpiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus DEI, ſed hæc fit in cordibus, cum per verbum Spiritus S. concipitur. Hæc ipſa habet Auguſtana Confess. Apologia a. ſic loquitur p. 218. Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, quas ratio per ſe comprehendit. Potest aliquo modo efficere juſtitiam civilem ſeu juſtitiam operum, poteſt loqui de DEO, exhibere DEO certum cultum externo opere, obedire Magiſtratibus, parentibus in opere externo eligendo, poteſt continere manus à cæde, ab adulterio, à furto. Cum reliqua ſit in natura hominis ratio & judicium de rebus ſenſui ſubjectis, reliquus eſt etiam detectus earum rerum & libertas & facultas efficiendæ juſtitie, civilis. Id n. vocat ſcriptura juſtitiam carnis, quam natura carnalis, hoc eſt ratio per ſe efficit ſine Spiritu S. Quanquam tanta eſt vis concupiſcentiæ ut malis affectibus ſapius obtemperant homines: quàm rectè judicio. Et diabolus, qui eſt efficax in impiis, ut ait Paulus, non deſinit incitare hanc imbecilem naturam ad varia delicta. Hæc cauſe ſunt, quare & civilis juſtitia rara ſit inter homines, ſicut videmus, ne ipſos quidem Philoſophos eam conſecutos eſſe, qui videntur eam expetiviſſe. Illud autem falſum eſt, non peccare hominem, qui facit opera præceptorum extra gratiam. Et addunt amplius, talia opera etiam de congruo mereri remiſſionem peccatorum ac juſtificationem. Nam humana corda ſine Spiritu Sancto, ſunt ſine timore DEI, ſine fiducia erga DEUM, non credunt ſe exaudiri, ſibi ignoſci, ſe juvari & ſervari à DEO. Igitur ſunt impia. Porro arbor mala non poteſt ferre bonos fructus. Et ſine

Alia ratione diluitur dubium.



fide impossibile est DEO placere. Igitur etiamsi concedamus libero arbitrio libertatem & facultatem externa opera legis efficiendi, tamen illa spiritualia non tribuimus libero arbitrio, scilicet verè timere DEUM, verè credere DEO, verè statuere ac sentire quod DEUS nos respiciat, ex audiat ignoscat nobis &c. Hæc sunt vera opera prima tabula, quæ non potest cor humanum efficere, sine Spiritu Sancto sicut ait Paulus. animalis homo, hoc est homo tantum naturalibus viribus utens, non percipit ea, quæ DEI sunt. Et hoc judicari potest, si considerent homines quomodo corda de voluntate DEI sentiant, utrum verò statuunt se respici & exaudiri à DEO. Hanc fidem difficile est & sanctis retinere, tantum abest, ut sit in impiis. Concipitur autem, ut supra diximus, cum corda per terrefacta Evangelium audiunt & consolationem concipiunt. Hactenus Apologia. Hæc uti diximus si sequamur, & axiomati nostro sua constabit autoritas: & apparebit, nihil illud continere quod orthodoxæ fidei contrarietur. Quod si n. quæstio sit de justitia illa civili, circa quam Icti sunt occupati, & de qua in hac dissertatione nobis quæstio est, utique dicendum est, homini eas naturales vires post lapsum relictas esse, ut *ἡ ἀρετὴ* vobis facere, atque sic civiliter justus vel bonus dici possit. Rom. II. 14. 15. Quo sane intuitu axioma nostrum habet locum siue de homine intra vel extra Ecclesiæ pomeria degente, regenito vel irregenito quærat. Quod si verò ad justitiam spiritualem respiciamus, utique pro dolor! verissimum est, omnem hominem malum & præsumendum & dicendum: imo nec ullas prorsus illi vires circa res mere spirituales superesse. Quod præter supra alleg. quamplurimi sacri cod. loci satis evincunt, quæ Theologi passim & inter illos beatus *Quenst. System. p. 2. c. 3. Sect. 1. tb. 32.* collegerunt. Nobis in hisce prolixiores esse non licet, nec opus, cum ad nostrum forum haud spectent: ex alio tamen advocanda fuerunt, tanquam certæ hypotheses in patrocinium causæ nostræ. Non putamus verò *μὴ ἰαβάστος εἰς ἀλλογένοσ* dicam nobis scribi posse.

§. XX. Non tamen temperare mihi possum, quin addam sano sensu & quoad justitiam spiritualem aliquem sibi vindicare locum nostrum axioma. Postquam n. DEUS ex immensa sua misericordia ad gratiam divinam & spem æternæ vitæ omnes homines recepit, qui divinis permissionibus credunt, & in merito filii ejus peccato-

rum



rum expiationem & salutis medium quærunt, contingit sane, ut in regeneratione l. cōversione homo novos spirituales ac supernaturales vires accipiat à DEO, per quas gratiæ divinæ in producendis spiritualibus motibus & actionibus potest cooperari. Etsi verò hæ vires benè agendi non sūt consummatæ, sed inchoatæ saltem, atque nobis remanet caro, quæ resistit Spiritui & repugnat legi mentis, ad *Galat. c. 5. v. 17. ad Rom. v. 23.* Christiana Charitas tamen jubet de quolibet homine bene sperare atque credere, stare illum in statu reparationis inchoatæ, atque eligere potius bonum spirituale per assistentem & cooperantem Spiritus Sancti gratiam, quàm malum spirituale per carnis in ipsis adhuc inhaerentis concupiscentiam, *conf. Formul. Conc. p. 723. 724.* Sicque hoc modo quemlibet regnitum & conversum bonum præsumi, etiam quoad justitiam spiritualem, donec constet per peccatum mortale isto statu illum excidisse. Fateor hac in re iudicium humanum sæpius falli, ob hypocritarum multitudinem: & non omnes esse justos in conspectu DEI, qui iusti sunt in conspectu hominum *ut Origen. in Homil. ad Luc. 2. loquitur.* remanet tamen illud Apostoli *I. Corinth. 13. v. 4. Charitas non cogitat malum, & quod communiter dici solet: de occultis non iudicat Ecclesia, sed hæc sunt relinquenda illi, qui novit corda filiorum. Matth. 7. & Luc. 6. c. 34. X. de Symonia c. consulisti c. 2. q. 5. Conf. Menoch. L. 5. pres. 5. & 6.*

## CAPUT II.

Semel malus, cur semper malus præsumatur:  
& quomodo id intelligendum?

### §. I.

**H**Æc de fundamento hujus axiomatis: Quod quilibet præsumatur bonus, dicta sunt. Habet autem illud, ut aliud, varias limitationes, quas longo agmine *Dd. recensere solent, uti videre licet apud Pacianum Lib. 1. de probation. c. 53. Alciatum de presumpt. reg. 3. pres. 2. Menoch. Lib. 5. pres. 1. Mascard. de probat.*



*bat. Conclus. 222. 224. 878. 1003. 1006. Tusch. Tom. 1. lib. 6. conclus. 123. Barbof. in Thesauro Lib. 3. f. 30. axio. 9. quas omnes enarrare, nimis longum foret. Satis n. negotii nobis unica, quam rubrum dissertationis indicat, facessit.*

*Funda-  
mentum  
Regule:  
Qui semel  
malus &c.*

§. II. Sc. regula ista ad præsumptiones juris referenda est quæ tamdiu pro vera habetur, donec de alio non constet vel donec rebus aliter postulantibus atque in diversam partem spectantibus contraria quædam præsumptio specialis non oriatur. *P. Peckius Reg. 82. n. 1. 2. Conf. dicta §. V. cap. 1. Quod si ergo appareat semel à regulis justis & æqui aliquem recessisse, bonus sive justus amplius dici nequit: justus enim & bonus non ab una actione æstimatur, sed ab habitu, id est perpetua & constanti voluntate rectè faciendi Wesenb. ad tit. Inst. de Just. & Jure. n. 4. quæ perpetua & constans voluntas certe adesse nequit, si una saltem mala actio se prodat. Quinimo ex hac actione nova plane specialis, & priori contraria oritur præsumptio: quoniam enim, semel tam temerarius fuit, ut jus fasque violare ipsi non nefas fuerit, credibile est illum alias etiam, si occasio peccandi detur, vel data fuerit, idem facturum vel fecisse.*

*Quis  
Peccandi finem imposuit sibi? quando recepit  
Ejectum semel attrita de fronte ruborem?  
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno  
Flagitio? Juven. ait.  
Uti enim Leo insidiatur venationi semper, sic peccata operantibus iniquitatem, Ecclesiasticus inquit c. 27, 11. Atque hinc nostrum nascitur axioma:*

### **Qui semel malus, semper præsumitur malus.**

Quod itidem ad præsumptiones juris referendum, ita ut pro verò habeatur, donec de alio, & quod quis bonus fuerit vel factus sit constet. *Gail. 2. O. 97. n. 6. 1. O. 21. 8. Admittet ergo probationem in contrarium: quæ in adversario ejus, qui axioma hoc allegat incumbit. a. l. f. ff. Quod met. causa. Peck. Reg. 8, n. 6. Est tamen ubi*



ubi ob concurrentem legis dispositionem tam fortis hæc præsumtio est, ut in illâ, quæ juris & de jure dicitur, degeneret, atque sic probationem contrariæ excludat, quæ omnia in sequentibus latius deducenda erunt.

§. III. Regula hæc in jure Pontificio conceptis verbis *Sedes Regula.* habetur in cap. 8. d. R. 7. in 6to. cum quo quoad sensum conveniunt, quæ in cap. Scribam 9. X. de præsumt. ex Hieronymo adferuntur, item quæ in l. 7. §. 3. ff. de accusat. l. 5. §. 6. ff. de re militari l. 12. C. de susceptor: præpos. & arcar. Lib. 10. Nov. 72. Const. Carol. art. 31 §. 4. alibique leguntur, atque apud Interpretes passim explicantur. Menoch. de Præsumpt. Lib. 5. præf. 32. Mascard. de Probat. conclus. 1003. n. 37. Cott. in memorabil. verbo: malus semel p. 559. Hieron. de Monte var. Juris, quæst. 13. n. 17. Gig. Conf. 30. n. 9. & Conf. 38. n. 77. Card. Tusch. pract. conclus. tom. 5. lit. M. conclus. 28. per totam. Farin. in Praxi Crimin. p. 1. quæst. 23. n. 21.

§. IV. Quo fundamento Regula hæc nitatur jam in præced. *Locus Ciceronis adducitur.* §. II. indicavimus. Quoniam tamen ea quæ dicta, & in posterum dicentur, non parum declarant præcepta, quibus Cic. Lib. 2. de inventione: accusatorem instruit, ante omnia ista integra apponere est visum. Ita autem ille: *Ac personis quidem res eæ sunt attributæ, ex quibus omnibus unum in locum coactis, accusatoris erit improbatione hominis uti. Nam causa facti, parum firmitudinis habet, nisi animus ejus, qui insimulatur, in eam suspicionem adducetur, ut à tali culpa non videatur abhorruisse. Ut enim animum alicujus improbare nihil attinet, cum causa, quare peccaverit, non intercesserit: sic causam peccati intercedere leve est, si animus nulli minus honestæ rationi affinis ostenditur. Quare vitam ejus, quem arguit, ex ante factis accusator improbare debet, & ostendere si quo in pari ante peccato convictus sit. Si id non poterit: si quam in similem antè suspicionem venerit, ac maxime, si fieri poterit, simili aliquo in genere ejusmodi causa aliqua commotum peccasse, aut in æque magna re, aut in majore, aut in minore: ut si quis pecunia dicat inductum fecisse, possit demonstrare aliqua in re ejus aliquod factum avarum. Item in omni causa naturam, aut victum, aut studium, aut fortunam, aut aliquid eorum, quæ personis attributa sunt, ad eam causam, quæ commotum peccasse dicet, adjungere, atque ex dispari quoque genere culparum, si ex pari sumendi facultas non erit,*

C

impro-



*improbare animum adversarii oportebit: ut si avaritia inductum arguas fecisse, & avarum eum quem accusas, demonstrare non possis, aliis affinem esse vitiis doceas, & ex eare non esse mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re eum deliquisse. Quantum enim de honestate & auctoritate ejus, quæ arguitur detractum est, tantum de facultate totius defensionis diminutum.*

*Semel malum fuisse, probari debet.*

§. V. Monet hic Cic. inter alia accusatorem vel alium, qui alterum arguere vult, vitam hujus ex factis improbare debere, si qua in pari aut dispari antea peccato sit convictus: quo ipso docet, & rectè quidem, ante omnia de facto quodam malo constare debere, si præiumptioni huic locus esse debet. Nam licet hanc ipsam regulam, de qua inter omnes constat, quamque jus recepit, approbare l. firmare nihil attineat: assumptum tamen, hunc l. illum semel malum fuisse, quam maximè indiget approbationis. Cum enim secundum ea, quæ antea dicta sunt, quilibet bonus præsumatur, utique tamdiu hoc pro vero habendum, quamdiu contrarium, vel aliud non demonstratur, ex quo diversum colligi possit. Incumbit ergo illi, qui factum tale allegat, & in eo fundamentum intentionis ponit, ut assertionem hanc probet, non enim dicere sufficit esse vel fuisse quem malum, sed probatione quam maxime opus est l. 10. C. de non numerata pecun. l. 12. §. 2. ff. de Captiv: & postlim: revers. Pacianus de probat: Lib. 1. cap. 53. n. 5. Mascard. de probatio. Conclus. 222. 1006. Imo opus est etiam allegatione, ut sc. præsumptio hæc in iudicium deducatur & proponatur ab eo, qui beneficio illius adversus alium uti cupit. Nam cum Judex sententiam non dicat nisi ex allegatis, & probatis. l. 74. ff. de judic. l. 18. Comm. divid. ibid. Brunn. non proderit præsumptio nisi allegata, & nisi is in cujus favorem tendit, eam se uti velle ostendat. a. l. 38. §. 6. ad L. Jul. de Adulter. Peck. de Reg. Jur. 8. n. 7. Putarem a. allegationem hanc etiam tacitè tunc factam esse, quando saltem malitia adversarii arguitur & probatur: licet nulla inde fiat illatio vel petitio. a. L. uno. C. ut qua Advocat des. Quid? quod interdum ad officium iudicis pertinet, habere rationem hujus Præsumptionis, si nempe motu proprio officio suo nobili fungitur, quando e. g. inquit, inhibet, punit, imponit Juramentum Calumniæ Scacc. de Jud. L.

116.



*l. c. 68.* vel si officium ejus per clausulam salutarem imploratum. Si modo utroque casu de facto constet. *conf. Menoch. l. 1. q. 48. n. 35. & q. 52. Vall. ad tit. decret. d. pres. §. 6.* Plane quod ad præsumptiones juris & de jure attinet, illæ nullâ opus habent allegatione, cum pro lege dispositiva habeantur, quam Judex cogitur sequi. *Menoch. d. l. n. 1. Conf. Farin. q. 56. n. 141.*

§. VI. Hæc autem probatio variis modis fieri potest. Atque primo quidem certissimum est, optime per confessionem illius, quem malum esse vel fuisse dicimus, de malitia constare posse. Nulla enim melior ac efficacior probatio, quam confessio haberi potest *l. 1. ff. de confess. l. 14. C. de Rei vindicat. qua de causa Baldus Lib. 2. Consil. 195.* omnium principalissimam vocat. Nec adeò multum hic intererit, num confessio hæc judicialis, sive extra judicialis fuerit, atque hæc vel scriptura *juxta l. 26. ff. de deposit. vel testibus arg. l. 15. C. de fide instrumentor. Nov. 90. c. 2.* probetur. Etsi enim non negemus, confessioni judiciali majorem vim, quam extra judiciali esse adscribendam in Criminalibus præsertim, ubi ex illa ad condemnationem, si modo cætera paria sint, potest perveniri, cum extrajudicialis tantum indicium faciat ad torturam, *Carpz. quest. 126. & quest. 121. n. 41.* atque sic præsumptionem malitiæ ex confessione mali judiciali fortiolem nasci: concedendum tamen & nobis erit, non levem ex confessione extrajudiciali, si modo de illa constet, oriri præsumptionem.

§. VII Deinde sine dubio per instrumenta idonea & testes probatio hæc fieri potest, si modo inveniri possint atq; hi jurati sint, & tales, quibus hæc haberi queat. *l. 1. ff. & C. de Fide instrum. & de testibus.* Illud tamen singulare est, quod Dd. tradunt, mores & qualitates alicujus personæ, si agatur de probando e. g. inhonestam & meretriciam vitam alicujus mulieris, vel diffamationem in genere, quod quis sit adulter, stuprator, aut quid simile, testes etiam singulares probare, quando deponunt de diversis stupris, adulteriis & actibus inhonestis, secundum *Alexandrum in Consil. 13. n. 24. Lib. 7. & alios quos longa serie recenset Farinac. Prax. Crim. Lib. 3. tit. 7. quest. 64. n. 223. & seqq.* ubi tamen n. 228. ita hanc doctrinam declarat, ut ita intelligenda sit, si modo super quolibet actu diverso, duo testes remaneant. **Quemadmodum autem iis casibus**

Quomodo  
probetur?

Confessio-  
ne.

Per instru-  
menta &  
testes.



casibus ubi probatio malitiæ plena adest, præsumptio de aliis malitiæ actibus satis bene procedit: ita dubio procul eandem vim non habet, si tantum semiplene de actu uno malitiæ constet. Haud negaverim tamen, indicium quoddam & inde suspensionem quandam nasci, quæ minus quidem quid est quam præsumptio, non plane tamen caret effectu, qui quantus sit, ex iudicis arbitrio dependet. *Farinac. Lib. 1. tit. 5. quest. 36. n. 240. & 251. Conf. Menoch. L. 1.*

*An Fama?*

*q. 51.*

§. VIII. Licet autem testes de actu malitiæ ipso non adeò deponant, sufficit tamen si de fama & maxime tali, quæ à personis fide dignis orta, testimonium perhibeant. artic. 44. const. Crimin. *Jul. Clarus Lib. 5. Pract. Crim. §. fin. quest. 21. n. 1. Pacianus Lib. 1. c. 53. §. 32.* atque huc pertinet quod *Cicero* supra monuit, si de malo aliquis non convinci possit, sufficere, si modo ostendi queat, in similem antea accusatum venisse suspensionem, Quo loco & id habendum quod *Dd* tradunt, facta etiam per conjecturas probari posse. *l. 6. C. de dolo l. fin. C. de probat.* Illud tamen certum est, & vel ex ipsis *Cic.* verbis apparet, non æque fortem collectionem ex fama vel conjecturis nasci, quam si de facto ipso constet. Fateor non nihil imminui existimationem illius, qui in suspensionem peccati incidit, atque famam suam ob id læsam habet: præsertim si culpa sua causam dederit malæ famæ & suspensioni, quæ eò major erit, quo major culpa ista existit. Nec malè id hic habere potest, qui in suspensionem cadit, cum ipse sibi imputare debeat, quod non cautius mercatus, & bonæ existimationis ac famæ, quæ auro præstat, & quam negligere crudele dicunt nostri, non magis sit studiosus. *Anchora. Conf. 188. n. 6.* Interim tamen ob suspensionem levissimam pro malo & semper malo non statim quem habendum esse crederim, cum & optimi non ita cauti esse possint, ut omnes suspensionis laqueos evitare queant. Hoc ergo super est, ut bene speremus, quantum fieri potest, de hominibus, & ut prudens iudex arbitretur, num & quid ejusmodi dandum sit suspensioni. Quorsum pertinet *Const. Carol. V. art. 31. in fin. ibi* und in solchen ist sonderlich auch ein Ansehens zu haben auff den gutten und bösen Stand und Leimuth des Versagte. Quid quod si constet aliquè de crimine accusatum, vel incarceratum esse, vel fuisse saltem, licet nondum



nondum confessus l. convictus: tamen antequam innocentiam purgavit, ad alios malitiæ actus inde colligi potest: *L. 20. ff. de Testib. l. un. C. d. Reis postul. Perez. Brunn. Farinac. q. 56. d. Testi. n. 131.*

§. IX. Illud vero quæstionis est, num si de malitia tali probanda agatur, juramenti delationi locus sit? Atque primò si causa civiliter tractetur, res dubio prorsus caret, cum omnibus actionibus civilibus jurisjurandi delationi locus sit *l. 3. §. 1. l. 34. ff. de jurejurando l. 5. §. 8. ff. de injuriis* sive causa famosa sit nec ne *l. 9. §. 2. ff. de jurejurando l. 10. C. de Rebus creditis Decis. Novis. Elector. 17. De Criminalibus* ut idem dicatur *ex l. 6. §. 5. l. 28. §. 6. de jurejurando* non malè colligitur. Communiter tamen Dd. tradere solent, iis casibus ubi pœna capitalis vel corporis afflictiva locum invenire potest, ob metum perjurii non esse concedendam juramenti delationem *Daniel Moller ad Const. Elect. 42. part. 4. n. 15. Cothmann. Vol. 2. consil. 82. Carpz. Lib. 3. Resp. 44. & 45.* ubi de excipiente & jusjurandum deferente quoque agit. Secundum quam distinctionem in negotio præsentidecisio fieri fortè potest. Sed quia hæc res altiore requirit indaginem, hujus loci non est, ut in illam accuratius inquiramus.

*An per jurandi delationem?*

§. X. Antequam autem ad ulteriorem declarationem regulæ nostræ procedamus, vindicanda illa nobis erit à quibusdam, quæ veritatem illius imminuere quodammodo videntur. Atque primo quidem id adversari posset, quod sicut nemo ex uno actu virtuosus aut bonus citra præsumptionem generalem dici potest, nec uno actu negociationis mercator *l. 1. §. 1. l. procuratoris §. queritur de tribut. act.* nec strenuus Athleta, qui semel tantùm vicit *l. C. de Athletis* ita nec ille malus dici queat, qui semel actum edidit malum. Verum parum ponderis hæc habent omnia, à diversis plane petita. Alia n. ratio est bonitatis, alia malitiæ. Malus is statim dicitur, qui una vice contra LL. peccavit. Bonus verò iterum non statim fit, licet unum actum justum ediderit, secundum ea quæ supra §. II. à nobis allata. Deinde alia est ratio illorum negotiorum, quæ exercitium requirunt, & tractum temporis habent, qualia sunt negotiatorem, athletam & opificem esse. In his sane unus actus non sufficit, sed requiruntur plures: Malus autem efficitur aliquis uno actu, licet non semper pessimus inde præsumatur, de qua re infra thesi penult. hujus cap. dicemus

*Vindicatur axioma ab objectionibg.*



cendum erit. Neque adversatur, quod qui semel fuit contumax, non præsumatur semper futurus contumax; & propterea post primam contumaciam iterum sit citandus *c. 2. de dolo & contumacia* quod minime foret necessarium, si LL. præsumerent futurum eum contumacem: quia non citandus est is, quem scimus non venturum *Gaius lib. 1. observ. 132. n. 8.* Respondeo enim, accidere sæpe numero posse, citationem primam non venire in notitiam citati, vel citatum comparere volentem impeditum esse, ne compareat. Quapropter Lex contumacem in futurum præsumere noluit. Quod si autem manifestè constaret, citatum verè esse contumacem, & forte respondisse, se non velle comparere, non amplius citandus esset. *Barthol. L. 2. C. quomodo & quando iudex.* Ut taceam citationem ad formam processus pertinere, quæ non temere negligenda est. Neque etiam porro obstat, quod in *c. 10. X. de majoritate & obedientia* habetur: ex quo colligunt Dd. eum qui semel perjurus fuit, eo non obstante ad juramentum calumniæ, fidelitatis, & obedientiæ compelli posse. Nam id ideo fit, ne ex delicto commodum illesentiat *Gloss. & Panormit. ad d. c.* quamvis etiam in hac re caute procedendum esse moneat ipse Pontifex verbis dict. cap. *si videritis expedire:* & tunc præcipue assertio hæc habet locum, si alia cautio deficiat *Gloss. d. l.* Simile quid de teste, qui crimen commisit, ne testimonium dicat, habet *Farin. q. 56. n. 146.* Alia id generis dubia movet. *Petorius ad R. & Crusius de Indiciis p. 1. c. 104.* ad quæ in conflictu data occasione D. V. respondendum erit.

*Axioma  
 verum de  
 malo dolo-  
 so, & cul-  
 poso.*

§. XI. Non tantum autem axioma hoc effertur de malo dolo-  
 so, verum etiam ob identitatem rationis de malo culposo, cujus po-  
 sterioris exempla *infra c. 3. & hoc ipso capite §. XIV. §. XV.* occurrunt.  
 Et sicuti nullum est dubium, quin ab uno genere ad idem v. g. ab u-  
 no malo culposo ad aliud, ab uno doloso ad aliud argumentari li-  
 ceat, iis tamen observatis quæ in §. seqq. dicentur: ita non adeo ex-  
 peditum: an à malo culpæ ad malum dolosum, aut viceversa va-  
 leat collectio. Posterius intrepide affirmamus. Nam qui do-  
 lo malo ex proposito nocere vel delinquere non erubescit: cur  
 non credamus & culpa peccaturum? arg. eorum quæ §. adducta.  
 Quorsum illud referri potest, quod dici solet: *Qui semel scurra, nun-  
 quam fiet paterfamilias: h. e. quem semel depuduerit, & qui ex pro-  
 posito*



posito famam neglexit, nunquam res suas nedum alienas curabit.  
*Crus. de Jud. p. 1. c. 1. v. 4. n. 2.* Prius vero ob ea quæ in *Sis* dicentur  
dubium videri posset. Constat tamen non negligere jus nostrum  
argumentationem à culpa ad dolum: cujus rei egregium exemplum  
est in *l. 5. §. 6. ibi: aut negligens suorum ff. de re milit.* Sane & culpa  
ad *adixu* pertinet. Qui ergo in minima re *adixu* est, sive iniquus,  
ille & in majori talis præsumitur *Luc. 16. vers. 18.* Quoniam tamen  
una culpa major alia, & præsumtio hæc pro re nata fortior vel levior  
erit. Quam maxime autem tunc fortis erit, si talis lata culpa com-  
missa, quæ prope fraudem & dolum accedit, quam vulgo dolum esse  
dicunt *l. 216. ff. sed verb. signif.* Judicis ergo erit æstimare, quantum  
tribuendum sit tali præsumptioni. Quamvis autem in criminalibus  
culpam dolo æquiparari regulariter non concedant *vid. D. Struv.*  
*Ex. 19. §. 21.* est tamen, ubi ex culpa in negotio quodam illicito com-  
misso ad dolum Lex ita infert, ac disponit, ut nec contrarii admit-  
tat probationem *L. 38. §. 5. de pœnis.*

§. XII. Patet ex his à facto omissivo & commissivo ad simile, *An ad actus*  
etiam ab omissivo ad commissivum, & vice versa argumentari licere *internos*  
*Grot. II. IV. 5. II. VIII. X.* Nec interesse an leve sit malum an ma- *pertineat.*  
gnum, à quo ad aliud inferimus. De tali tamen malo, maxime  
loquimur, quod in sensus aliorum hominum incurrit, atque adeo  
externum alias vocatur. Ad actus autem internos hominum malos  
quod attinet, verum quidem est, eos etiam si per confessionem ad  
notitiam aliorum perveniant, puniri non posse, nec congruum esse  
humanæ naturæ ut ex internis actibus jus aut obligatio nascatur:  
Quo sensu accipiendum, quod dicunt LL. Romanæ, Cogitationis  
pœnam neminem mereri *l. 18. ff. de pœn. & propositum in mente re-*  
*tentum nil operari l. 25. C. de transact.* nisi fortasse illi interni actus  
in externos erumpant, de qua re egregie philosophatur *Grot. de J. B.*  
*& P. L. 2. c. 4. §. 3. L. 2. c. 20. §. 18. 39.* Verum tamen & hoc est, sæpe nos  
judicare ex actibus internis, de externis *l. 53. ff. de furtir. Claremont.*  
*de Conj. cujus morib. L. 8. c. 10.* atque ideo cogi quem posse, ut qui a-  
nimus, quæ voluntas ipsi fuerit, aperiat sub jurisjurandi religione  
vel per torturam. His positis non plane ab hoc nostro axioma ar-  
cendi erunt interni isti actus. Nam licet non statim is pro malo ha-  
bendus sit, qui factus, sensit se inordinatum & in devia tendentem  
affe-



affectum, quorum nec piissimus homo, & qui in statu gratiæ vivit, expers est; imo ex eo ipso major præsumptio bonitatis nascatur, quamdiu non constat, se affectui illi indulgisse: attamen interdum, aliis præsertim concurrentibus adminiculis, suspicio contra eum qui malum cogitavit saltem, oriri potest. Finge Cajum esse occisum, Titium reum argui, negare factum Titium, fateri tamen se cogitasse de Cajo occidendo: quis dubitaret, hoc casu præsumendum esse contra Titium? Ad officium ergo Judicis pertinebit æstimare, num quid, & quantum ex ejusmodi actu interno colligi possit?

*Occurri-  
tur dubio.*

§. XIII. Quod si dixeris hac ratione paucissimos dari bonos, non abnuerim:

*Quandoquidem & illi peccant, quos minimè putes.*

Ut apud *Phædrum* est. Imo Diogenis lucerna opus esset, si bonos quærere & invenire velis. Conqueritur sane Apologia Augustanæ Confessionis supra relata, raram esse civilem justitiam inter homines. Quoniam tamen non plane nulli sunt, qui integri vita, scelerisque puri existunt; multi etiam qui peccant, ita caute peccant, ut vel ad aliorum vel ad judicis saltem notitiam non veniant illorum actus mali; multi denique se ita gerunt, ut ad bonam frugem, si mali fuerint, rediisse credibile sit: reliquum est, in civitate etiam esse posse & esse, qui bonorum nomen mereantur.

*Procedat  
Regula in  
eodem spe-  
cie malo.*

§. XIV. Quam maxime autem axioma hoc habet locum, si de eodem specie malo, quale, quis commisit, vel ut *Tullius* loquitur, de pari delicto quæstio sit: quoniam qui semel hoc vel illo delicto secoinquinavit, propensam ad id naturam habere videtur. Sic *Menander* infert: miles qui semel remansor, semper talis præsumendus l. 5. §. 6. ff. de re militari. Ita qui semel commisit homicidium, præsumitur etiam occidisse eum, cujus homicida ignoratur, si modo cætera sunt paria. e. g. si non constet eum tempore homicidii abfuisse. *Peinliche Hals-Gerichts Ord.* art. 143. *Salicetus in l. fin. C. de Quest.* *Marsilius in l. 1. pr. C. de Quest.* *Alciat. de præsumpt. Reg. 2. præsumpt. 7. n. 1.* Sic porro qui rixosus fuit, & consuevit rixas excitare atque minus pacatè vixit, contra hunc præsumptio est, autorem rixæ homicidio commisso fuisse, sive ipse occisus sit, sive alium occiderit. *Mascardus de probationibus Vol. 1. conclus. 72. n. 14. & conclus. 1131. n. 25. & seqq.* Qui semel hæreticus,



reticus, semper præsumitur talis, *Felinus ad cap. ad abolendum X. de hereticis. Alciatus ad cap. 9. X. de præsumpt.*

§. XV. Procedit tamen argumentatio hæc quoque, si de eodem genere malo, vel simili sive cognato agatur. Sic idem *JCtus Menander* colligit, si miles qui segnis aut negligens suorum, aut extra contubernium egit, à barbaris remissus, pro transfuga potius, quam capto habendus est *l. 5. §. 6. ff. de re militari*. Ita arguunt quoque *Dd.* qui semel malè & negligenter studuit in jure *Can.* etiam talis præsumitur in studio juris *Civil.* gloss. *Job. Andr. Imola Panomitan. Et alii in cap. scribam 9. X. de præsumptionibus* item: qui semel negligenter habuit ignem, & alio tempore illum negligenter habuisse censendus est. *Brunnemann. Centur. 4. Decis. 66. Gail. l. 1. obs. 21. n. 3.* Qui semel inimicus, semper inimicus præsumitur. *L. in ipsius C. Famil. ercis. ubi Bald.*

An ab eodem genere malo, vel simili?

§. XVI. Neq; hic adeo multum interest, utrum de peccato in re æq; magna, majori, vel minori jam constet. De priori casu parum forte erit dubii, pertinentq; huc exempla duo modo allata. Atq; hac ratione etiam illa quæ semel adultera est, præsumitur adulterium repetiisse. *Menoch. Cons. 31. n. 24. L. 1. Masc. C. 64. n. 11. Döring. Biblioth. verb. adulterium. n. 100. Crusi. de indic. p. 2. c. 7. §. 10.* Qui semel ad impudicitiam compellat, semper id facere præsumitur *l. 2. ff. de his qui sui vel alien. juris*. De altero etiam exigua hæsitatio erit: nam qui non dubitavit majus committere malum, non dubitabit etiam committere minus. Et qui in re, quam majorem in modum *LL.* detestatur, indignationi Superioris se exponit, de illo facile creditu est, eum idem esse facturum, vel fecisse in re, quæ *LL.* minus est exosa. arg. eorum quæ habet *Everhardus loc. 15. Et 16.* Sic e.g. de eo quem esse adulterum constat, præsumi potest, eum etiam esse scortatorem.

Quid si peccata inæqualia?

§. XVII. Tertium verò non adeo expeditum videtur, si à peccato minori ad majus inferre velimus. Fac leviter impingere in legem, non statim enormiter peccabit. Fac non timere aliquem minus malum poenæ: averfabitur tamen majus poenæ majus lulum. Plane si omnis præsumptio in meliorem partem, & ita capienda est, ut delicti exclusiva sit *l. 2. ff. quando ex facto tut. cap. estot 2. X. de R. J. Mascardus Conlus. 1006. n. 15.* Cur majus delictum commissum etiam credas, si minori in re à norma vivendi

An à peccato minor. ad majus liceat arguere?

D

di



di fuerit aberratum? Et ob hanc rationem Interpretes nostri tradunt, quod si foemina honesta soluta à juvene cognita, credenda potius sit, matrimonii causa id factum esse, quam stupri. *Carpz. Prax. Crim. quest. 68. n. 97. per cap. 15. qui fidem X. de sponsalibus.* Atqui tamen *Cic. loc. supra cit. sic infert.* Ita etiam jus nostrum in *l. 5. §. 6. ff. d. re militari* à delicto militari minori, nempe à segnitie & negligentia rerum suarum, ad majus delictum ad desertionem & transitum ad hostem concludit. Qualis argumentatio etiam in *cap. 10. dist. 56.* reperitur. Quid? quod ipse Christus ita arguit, *Luc. 16. 10. ὁ ἐν ἐλαχίστῳ ἄδικος, καὶ ἐν πολλῷ ἄδικός ἐστιν.*

*Si minus  
malum ad  
majus or-  
dinetur.*

§. XVIII. Magis autem hæc præsumptio in enditur, si minus malum ad majus aliquod ordinatum sit. Sic quæ volens passa est, ut ab adolescente manus ad pectus admoveantur, posteriores amoris lineas non abhorre, inde præsumitur. *Baldus in cap. cum due de Procuratoribus per textum & glossam in cap. 1. F. 17.* quod idem dicendum est de ea, quæ libidinosa oscula patienter accepit. *Crusius de Indiciis p. 2. C. 11. n. 15. Menoch. L. V. pres. 41. n. 26.* & multo magis de ea, quæ cum viris commune lavacrum libidinis causa habuit *l. fin. C. de Repudiis Glossa in ea non oportet Dist. 80.* etiam si viri isti clerici fuerint, quorum legalitas non excusat ab inhonestate. *Menoch. conclus. 984. n. 4. Masc. V. 1. C. 59. v. 16.* Sic porro, si quis attentatum adulterii & nixum copulæ fateatur, contra illum consumati adulterii vel hac vel alia vice maxima præsumptio est, quæ non nisi tortura elidi potest, *Zanger de quest. & Tortur cap. 2. n. 22.* quæ præsumptio adhuc major est, si accusatus ipsum actum adulterinum & realem coitum confiteatur, vel hic testibus de visu probetur *Mascard. de probat. Vol. 1. Conclus. 57. n. 5. Carpz. quest. 122. n. 74.*

*Declaran-  
nr dict a.*

§. XIX. Quanquam autem utique fatendum, argumentum à minori peccato ad majus, non æque forte esse, ac illud quod à majori ad minus delictum desumitur: prius tamen uti ex dictis satis apparet, eo majorem vim accepit, quò magis ordinatum minus malum ad majus est, & quò proximius illud ad hoc accedit. Qua de causa rectè monet *Menoch. Concl. 984. n. 5.* ex tactu, osculo & lavacro libidinoso non adeo concludenter probari copulam carnalem; quod certè magis fit, si de nixu copulæ constet.



Ret. qui nixus quid sit docet Boer. Dec. 316. Bald. Conf. 356. Stat. Placent. L. 1.

§. XX. His ita positis facile erit ad ea respondere, quæ supra sententiæ huic adversari diximus. Namque ultro largimur quidem ex generali præsumptione bonitatis omnem actum hominis ita accipi debere, ut delictum excludatur: Verum tamdiu id saltem verum est, donec præsumptio ista generalis speciali quadam non elidatur, juxta ea quæ supra cap. 1. th. 4. dicta sunt. Neque etiam nos ferit quod ex c. 30. X. de sponsal. à Dd. affertur: nam si ipsum inspiciamus textum, apparet illum de tali copula carnali loqui, quæ secuta est fidem antea datam super matrimonio contrahendo. Quo sane casu utique præsumi debet, actum hunc subsequenter factum fuisse in executionem tractatus antecedentis. Alciatus reg. 2. præsumpt. 24. atque ideo Pontifex pro actu matrimoniali merito copulam istam habuit. Utrum verò ex hoc capite generaliter argumentari liceat, coitum cum foemina soluta honesta, matrimonii causa, non stupri, factum credi debere, nobis quidem non possumus persuadere. Sane qui extra matrimonium cum foemina concumbit in actu illicito & dolo versatur, atque sic præsumptionem contra se adipiscitur l. 5. C. de Injur. l. 1. C. unde vi.

Remove-  
tur dubi-  
um.

§. XXI. Super est ut de diverso & dispari genere mali dispiciamus, ex quo & præsumptionem malam oriri contra perpetrantem Cicero docet. Sed adversam sibi habet communem fere Dd. nostrorum scholam, asserentium nullam conjecturam tunc capi posse Bartolus in l. Cassius in fine ff. de senatoribus Gregor. Lopp. in Lib. 1. verb. procurando tit. 18. p. 6. Tusch. conclus. præct. lit. M. n. 2. Wesenb. Lib. 7. consil. 117. n. 14. Mascard. de probat. conclus. 1006. n. 38. & qui ab his allegantur. Et fit quidem, (ut Erasmus in Enchir. militiæ Christianæ inquit) ut natura morbum animi veluti paria faciens dote quapiam diversa compenset. Est hic quidem propensior ad voluptatem, sed neutiquam iracundus, neutiquam invidus. Est alius in corrupta pudicitia, sed iracundior, sed attentior ad rem. Neque desunt qui prodigiosis quibusdam vitiis sollicitentur furto, sacrilegio, homicidio, quibus adulterium, perjurium, & reliqua crimina non rectè objeceris. Atque hinc concludunt Dd.

An à di-  
verso gene-  
re?

D 2

qui-



quidam, à mala famâ meretricandi non reddi quem suspectum in crimine homicidii. *Bald. & Imol. in L. f. ff. de hered. inst.* Quoniam tamen vitia inter se magnam habent cognationem, & uti supra assertum, valde credibile est, illum qui una in re legem violare audet, in alia quoque re occasione data idem fecisse vel facturum esse, rectius judicat *Alciatus regula 2. presumpt. n. 2. & cum eo Menoch. Lib. 5. presumpt. 32. n. 24. Farinac. q. 23. n. 32.* non modicam contra malum in uno oriri suspicionem, quod & in aliis rebus, genere licet diversis, malus sit, per *c. si gens angelorum d. 56.* Quid enim homo ad malitiam semel deditus non adinveniat mali? inquit *Just. N. 72. pres.* quorsum perinet quod *Lucanus de Partbis* loquens habet:

*Cui fas implere parentem,*

*quid rear esse nefas?*

Cujus hunc sensum esse puto: illi qui non abhorret cum matre incestum committere, nullum scelus tam parvum aut magnum esse, quod non admittere auderet. Quæ assertio eo magis vera est, si alia adminicula concurrant, & peccatum unum alterum comitari sitolitum, vel unum ad alterum aliquo modo ordinatum, vel transitus ab uno ad alterum facilis sit. *Wesemb. p. 7. consil. 317. n. 40.* Si avarus est, inquit Cicero L. IV. de inventione, negligit juramentum. Radix omnium malorum est avaritia, ait Apostolus I. Tim. II. 9. 10. Sic mulier, quæ vinolenta & comessatrix est, eadem quoque meretrix præsumitur, quoniam uti à Valerio scriptum est proximus est locus à *Liberio Bacho ad in concessam Venerem.* vid. latè *Tiraquel. in l. 9. Connubiali glossæ prima part. 9. n. 205. 208.* Imo licet mulier ebriosa non sit, ab actu tamen ebrietatis ad actum libidinis aliis concurrentibus argumentari licet: quæ argumentatio majorem vim habet, si quæ & ebriosa & ebria simul fuisse dicatur. *Gail. L. 2. observ. 110. Crus. de Indic. p. 2. c. 7. n. 20.* Eadem ratione mulier luxuriosa præsumitur etiam prodiga. *Felinus in cap. pastoralis X. de Judic. n. 4.* quam præsumtionem Felinus ita fortem habet, ut non admittat probationem in contrarium. Porro si libidinosus homo dicatur incantationibus induxisse fæminam, ut sui copiam faceret, præsumptio à libidine ad incantationes capi potest, quoniam sæpius amores illicitos cum magicis artibus conjunctos esse experientia testatur.

*We-*



*Wesemb. part. 7. consil. 370. n. 40.* Eodem modo si femina adulterio se pollui passa est, maritusq; illius subito perit, vel per vim occisus fuerit, magna inde adversus mulierem oritur præsumptio, quod vel ipsa propinaverit venenum marito, vel alias autor vel particeps facinoris fuerit. Ad hanc sententiam M. Catonem dixisse accepimus, nullam adulteram non eandem veneficam esse. *Quintilian. l. 5. c. 10. Briffon. Lib. Sing. ad Juliam de adult.* Huc pertinet id, quod de Ælio Sejano & Livia Drusi uxore scribit *Tacitus Lib. 4. annal.* Hanc ut amore incensus adulterio pellexit: & postquam primi flagitii potitus est, (neque femina amissa pudicitiam alia abnuerit) ad conjugii spem, consortium Regni, & necem mariti impulit. Quam & Livia pro honestis & præsentibus flagitiola & incerta expectans marito afferre non dubitavit, spe tamen & novi conjugii & Regni frustrata atque in cruentum & ipsius & Sejani exitum conversa, ceu *Tacitus & Dio. Lib. 57.* fufius narrant. Simile exempl. de Fredigundi Chilperici, uxore atque Lenderico recenset *Regino L. 1. & Æmilius Lib. 1. p. 22.* & de Ludovico Comite Thuringiæ atque Adelheide Friderici Palatin. Sax. Uxore habet ex *Annal. Reinhartborn. Gozensibus & Erfurdianis Fabr. O. S. L. 1.* Et quis nescit Davidem ex adultero mox esse factum homicidam? *Conf. Crus. de iudiciis p. 1. c. 7. n. 22. c. 32. n. 23.* Eadem ratione Dd. notant Magiæ facinus execrandum scelera nefanda quævis ceu umbram corpus subsequi certissimè, adeo ut Magia indicium homicidii, adulterii, proditionis, Sodomæ, concubitus cum Diabolo præ se ferre regulariter soleat. *Speid. Notab. Jur. verb. 6. Hexen. Conrad. Harz. de reorum inquisitione. Concl. 1. n. 5. Crus. P. 2. d. Jud. c. 32. n. 20.*

§. XXII. Utrum verò peccata divesi generis morali æstimatione æque magna sint, vel majora vel minora, & hic non adeo multum interesse ex dictis §. XVI. seq. facile constabit. Nam omnia quæ ibi allata sunt, ad hocce præsens negotium poterunt applicari. De cætero inter adminicula, quibus de antea dictum fuit & illud referendum est, si persona, de qua quæstio, sit vilis & inhonesta, vel ut ob plurima facta sit malæ opinionis ac famæ, quibus etiam casibus dissent. Dd. assertionem suam limitare solent. *Lucas de Pena in l. Quicumque 16. C. de Apocbis. Pacian. lib. 1. de probat. c. 37. n. 32. Conf. §. 37.*

D 3

§. XXIII



*Declaran-  
tur dicta.*

§. XXIII. Illud verò facile concesserim, argumentationem hanc non procedere si de talibus vitiis quæstio sit, quæ non possunt simul stare & contraria sunt; vel quorum unum ob conditionem personæ, ætatis, vel constitutionis corporis in personam cadere non potest. Sic qui Magistratu nunquam functus, vel alio officio publico, licet malus sit, non potest tamen in suspicionem venire, quod in L. Jul. repetundarum peccaverit. Si quis per ætatem potentia coeundi destitutus, vel alias frigidus seu maleficiatus, vel si necessaria pars corporis plane absit, de eo licet alias malus sit, non potest præsumi, quod sit adulter vel fornicator. *a.c. quod Sedem X. de Frig. vel malef.* Sic quæ prodiga est, eadem avara esse non potest. Malum enim ut Aristot. placuit, se ipsum corrumpit, quod si integrum undequaq; intolerabile est, nec unquam in eodem prodigalitas & avaritia, aut audacia & timiditas conveniunt, cum contraria in uno subjecto se invicem non patientur *Timo vel l. 9. connubiali glossa prima part. 9. n. 141.* quoniam spectat quod Salustius in Catilinaria scribit: *Inci- tabant præterea corrupti Civitatis mores, quos pessima ac diversa inter se mala luxuria atque avaritia (intellige in diversis subjectis propriis) vexabant.* Equidem, diversa interdum contrariaq; vitia in iisdem hominibus apparuisse legimus. Quemadmodum Porcius Latro de Catilina loquens, *summum pecunie desiderium summam simul prodigalitatem* taxat. De quo ipso Catilina Cic. pro Marcell. *quis in rapacitate avarior, inquit, quis in largitione effusior?* Et paulo antea: *neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto tam ex contrariis diversisque inter se repugnantibus nature studiis cupiditatibusque conflatum.* Verum si rem penitus inspiciamus, eodem respectu si de vitiis consummatis quæstio sit, id dici nequit. Sit aliquis domi avarus, potest tamen publice & de alieno prodigus esse. Sed domi & avarum & prodigum esse dici non potest. Et si dicitur, facile apparet, avarum illum absolute & in sensu exquisito dici non posse. Qui enim avarus dicendus, illum ut & in accipiendo & dando talis sit necesse est: sicut nemo liberalis vocatur, qui non circa danda & accipienda talis est. Hoc ergo relinquatur, ut quemadmodum vitiorum extrema invicem non connectuntur, ita nec avarum absolute & proprie sic dictum, posse simul esse prodigum proprie & in sensu exquisito ita dictum.

De



De similibus par esto iudicium. Etsi maxime talis aliquando de-  
tur casus, qui vix concipi potest, non tamen ab his quæ rarissime  
fiunt, sed ab eo, quod communiter fieri solet, argumentum peti de-  
bet, uti jam supra ostensum, atque alias notum est. *Conf. Grot. II.*  
*XVI. 4.*

§.XXIV. Ratione temporis præsumptio hæc fortissima, si à præ- *Regula*  
terito ad subsequens vel præteritum l. præsens, vel ad futurum, vel et *procedit à*  
iam à præsentem ad futurum collectio fiat. Quoniam enim is qui *præterito*  
semel malus apparuit aliter bonus fieri nequit, nisi prioris mali *ad subse-*  
commisisti eum poeniteat, atque ad bonam redeat frugem *c. 4. d. R. 7. quens vel*  
*in 6to Felinus in c. fin. X. de præsumpt. Ludovicus Gomez in Clem. un. præteri-*  
*de concess. præbende §. ex maleficiis 7. de Actio: n. 47. merito in-*  
terim dum de poenitentia & mutatione non constat, item malus a- *l. præsens,*  
nimus ad delinquendum pronus præsumitur. *c. maiores. 3. X. de vel futu-*  
*baptismat. l. 3. l. 22. ff. de probat. Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. rum, vel*  
*16. Atque hoc est, quod Interpretes docent: Accidens malitiæ se-*  
mel commissæ inesse productum (quippe quod non tollitur tem- *etiam à*  
pore solo, sed poenitentia) durare præsumitur, donec probetur sub- *præsentem*  
latum arg. *l. 19. C. de probat. ubi gloss. Abbas in c. accident. n. 6. de rum.*  
*privileg. in 6to. Dynus in c. 8. de R. 7. in 6to item qualitas semel po-*  
sita, semper præsumitur existere, nisi probetur sublata *Dd. per c.*  
*10. X. de transact. l. 15. ff. qui satisfacere coguntur. Et ideo merito*  
præsumitur perseverare in malo, in quo fuit irretitus, nisi se pro-  
bet emendatum. *Speculator de testibus versu: item opponitur. per c.*  
*54. X. de testibus. Pertinet huc Quintiliani dictum lib. 5. l. Orat. cap.*  
*10. Spectanda quidem sunt antea dicta dictaque: ex præteritis enim esti-*  
*mari solent præsentia, & quod Menoch. dicit: natura semel ad ma-*  
*lum conversa, nihil boni de homine ipso præsumi potest. Lib. 5. præ-*  
*sumpt. c. 32. n. 1.*

§.XXV. Exempla huc pertinentia passim occurrunt. Nam ut tace-  
amus ea quæ ex *l. 7. §. 6. ff. de re militari §. l. 7. §. 3. ff. de accusat.* huc  
afferri possunt, sequentia ad hunc locum spectant, quæ apud *Dd.* of-  
fenduntur. Qui semel blasphemus fuit, in præsens blasphemus præ-  
sumitur. *Anchora Consil. 415. n. 3. qui semel perjurus, (qualis quidem is*  
*non est qui Juramentum illicitum non servat Ruinus Consil. 158. n.*  
*20. Vol. 5. præsumitur etiam in præsens & in futurum talis, & pro-*  
*pterea*

*Exempla*



pterea rejicitur à juramento præstando. *c. parvuli 2. c. 2. quest. 5. c. literas X. de præsumpt. Lucas de Penna in l. 3. col. 2. C. de Apochi publ. Quorsum pertinet locus Cic. in Orat. pro Rabirio posthumo: Ubi quis semel pejeraverit, ei credi postea, etiamsi per plures Deos juret, non oportet. Atque hinc etiam testi non creditur, qui aliàs etiam falsum perhibuit testimonium c. testimonium. X. d. Testibus c. quicumque. c. 6. q. 1. Alciat. de præsumpt. Reg. 2. præf. 10. Qui semel fidem non observavit, præsumitur quod nec in posterum sit observaturus, ita gloss. & Bald. in L. Cornelia ff. ad Sct. Sylla: Qui semel falsarius, præsumitur etiam in posterum talis, Salicetus in l. si ex falsis C. de transact. Alexand. Conf. 77. n. 4. Lib. 1. Qui semel Usurarius præsumitur perseverasse Tusch. lit. M. Conclus. 27. n. 3. Qui Maritus vel Dominus semel sævit in uxorem vel servum, præsumitur semper in eodem sævire argum. §. 2. f. de his qui sui vel alieni Curd. Zabarella Conf. 9. princ. Qui olim inimicus, præsumitur etiam hodiè inimicus. Alc. Reg. 2. præf. XI.*

*Limitatio.*

§. XXVI. Tandiu autem hac præsumptio pro veritate habetur, quamdiu non constat, esse quem factum probum. Propositio enim hæc: Si aliquando peccavit, nunquam corrigetur, talis non est, ut necessario posterius cum priore cohæreat. *Cic. l. 1. de invent. 71.* De hac autem emendatione si constet, cessabit illa malitiæ præsumptio, & reviviscet prima opinio bonitatis. Postquam verò hæc mutatio qualitatis intrinsecæ facti est, probari debet ab allegante, *l. 9. C. de collat. §. II. supra.* Sola enim hic confessio illius, qui se dicit emandatum nihil operari potest *ob. l. 10. ff. de testibus.* Non tamen apodictica demonstratio hic requiritur, cum intra animum consistat mutatio & sic experts sit demonstrationis necessariæ; sed probabilia saltem sufficiunt argumenta *Mascard. de probat. concl. 601.* cujus tamen distinctionem inter causas criminales & civiles, in quarum his perseverantiam malitiæ alleganti probationem injungit, probare non possumus; cum utrinque par sub sit ratio. Sufficiet ergo, si probare poterit, se post actum commissum malitiosum, per aliquod tempus per triennium saltem probæ fuisse vitæ & bonæ conversationis. *arg. Nov. 5. c. 3. L. 25. §. 6. ff. de Ædil. Edict. Angelus & Dynus in c. 8. d. R. 7. in 6to. Roma: Conf. 236. n. 5. Mascard. Conclus. 222. n. 22.* Videtur enim, quod desistens tanto tempore à malo, magis



magis impetu, quam ex proæresi peccaverit: quo fundamento & u-  
niversa præscriptionum delictorum materia innititur. Vel si pro-  
betur, contigisse quidem posthac occasionem delinquendi, & tamen  
abstinuisse illum à peccato. *Alberic in l. omnimodo n. 3. C. de inoff. test.*  
*Matth. Gribaldus in axim. emendatus.* Vel etiam si alias factis, vel  
verbis pœnitentiam seriam declaravit. *Bartol. & Bald. in l. imperia-*  
*les 23. C. de Nupt.* quam Pontificii intensiorem dicunt, si magnam  
pœnitentiam, uti loquuntur, quis fecerit, hoc est magnam satisfa-  
ctionem operis, quam illi, perperam licet, partem pœnitentiæ fa-  
ciunt, præstiterit, e.g. si religionem ingressus fuerit. *Alciat. d. l. Me-*  
*noch. Conclus. 601. n. 10. Mascard. de probat. Conclus. 601. n. 10.* Post  
peractam enim pœnitentiam habetur perinde, ac si non deliquisset:  
& inde colligit *Bartolus* testem perjurum vel usurarium peracta pœ-  
nitentia admitti, quod etiam *probat Afflict. in Decis. 37. n. 4. Baldus*  
*in rub. C. de Usur.* hanc allegantes rationem, quod peccator, qui pœ-  
nitentiam egit, amplius peccator non dicatur. *c. cum ferrum dist. 50.*  
Dubitat de hac illatione *Jason l. in arenam n. 5. C. de inoffic. testam.*  
& contrarium plane docet *Marsilius singulari 273. n. 7.* Nos iudicis  
arbitrio rem relinquendam esse censemus: qui, examinatis atque  
perspectis omnibus circumstantiis, judicare debet, quam fortiter, ex  
pœnitentia mali animi mutatio colligi possit. *Mascardus Concl. 465.*  
*n. 8. 9. & c.* Difficilius tamen admittitur talis, quem secuta est infam-  
ia, quæ ex sola pœnitentia non tollitur sine accedente Principis  
restitutione *L. 2. ff. de Senator. L. si quis C. de Cohortal. Job. Faber*  
*ad §. 1. J. n. 1. de Inofficii testament. Mascard. Conclus. 465. n. 6.*

§. XXVII. Plane illius qui semel tantum deliquit, pœnitentia  
magis seria habenda est, & cum majori emendationis spe conjuncta,  
quam ejus, qui bis vel pluries antea peccavit, & consuetudinem ha-  
buit peccandi: quam si quis semel induerit, iterum exuere valde est  
difficile. *Alber. in l. omnimodo. n. 3. C. d. inoffic. testam. Menoch. L. 5.*  
*presumpt. 32. n. 42.* In quantum autem per Sacerdotis confessio-  
nem emendatio, vel pœnitentia probari possit. *vid. ap. Mascard. c.*  
*60. n. 4.*

§. XXVIII. Quamvis verò supra dictum, mutationem malitiæ  
non præsumi ob solum temporis cursum, præsumitur tamen in  
illis delictis, quæ ipso temporis cursu & ætate immutantur, quæve  
E ipsos



iplos homines derelinquunt. Sic vitium libidinis, etiam si vehemens fuerit in adolescentia, attamen extinctum praesumitur in senectute, quae, ut Terentius loquitur, verecundos facit, funerata scilicet illa parte, quae quis olim Achilles fuit, c. 15. X. de praesumpt. O praestitum munus aetatis, exclamat Cicero de Senectute, siquidem id auferre nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum. Conf. Bartol. in l. si cui §. iisdem n. 8. ff. d. Accusator. Masc. C. 1006. n. 43. Felinus in c. cum in juris X. de officio delegati. Eodem etiam modo praesumptio haec nostra cessat, si quis in statum talem incidit, in quo per naturam non potest committere delictum, cuius insimulatur. Sic qui adulter olim fuit, non praesumitur talis, si genitalia amiserit. a. c. Quod sedem. X. de Frig. & molest. Conf. quae §. XXII. dicta.

§. XXIX. Illud autem memoratu dignum est, quod haec praesumptio malitiae interdum tam fortis visa fuerit Legislatori, ut ob accedentem juris dispositionem in praesumptionem juris & de jure degeneret, ita ut probationem contrarii excludat. Notabile exemplum est in l. fin. C. Arbitr. tutela ubi Justinianus tutores & curatores, qui inventarium facere neglexerunt, non praesumit tantum administrationem dolo malo coepisse, sed & eos in posterum rem non ex fide acturos, atque hac de causa tanquam suspectos removeri jubet. Simile quid habetur in §. 12. f. d. suspecti tutor. Ex quo apparet id, quod Everb. habet Loc. 90. n. 2. scilicet hanc praesumptionis speciem tantum juris esse, vel saltem de eo, quod regulariter fit, esse capiendum, vel esse falsum.

**Dubium  
removetur**

§. XXX. Diceret forte quis, futurorum atque contingentium nullam esse certam ac determinatam veritatem l. 84. ff. d. Acquirend. Hared. l. 31. ff. ad l. Aquil. l. 13. §. 2. d. damna infecto; non ergo posse veram dici atque certam nostram hanc illationem, à vita praeterita vel praesenti ad futurum. Sed nec nos tribuimus determinatam veritatem regulae nostrae, nec ad infallibiles & necessarias demonstrationes referimus; sed saltem ad probabiles, quibus eam asserimus, quae verisimilia sunt, quaeve in futurum possunt eveniri. Scilicet judicamus futura contingentia, secundum communem contingentiam. Surdus de Alim. tit. 8. quae. 1. n. 8. & Consil. 454. n. 14. Tusch. Tom. 4. lit. f. conclus. 568.

**Num ar-  
gumentari**

§. XXXI. De eo verò non adeo inter DD. constat, num à praesenti ad praeteritum, vel à praeterito ad tempus, quod hoc praeteritum ante-



antecedit, argumentatio fieri possit. Plerique id negant, ut *Salliceat à*  
*cetus in l. final. C. d. Quasi. aliique, quos nominat Alciatus Reg. 2. presenti*  
*pres. 7. n. 3. Mascardus Conclus. 1006. n. 44.* ex quo etiam conclu- *ad prate-*  
dunt, quod licet Notarius ob id, quod falsum fecit instrumentum, *ritur, vel*  
vel ob falsum aliud condemnatus, non possit facere instrumentum, *à prateri-*  
ne in favorem piæ causæ quidem: possit tamen præterita de quibus *to ad præ-*  
fuit ante rogatus perficere s. in publ. redigere formam; nec antea *teritum?*  
per illum confecta præsumantur falsa. *Marsilius in singular. 560. Fe-*  
*linus in c. frontes. X. d. hæreti Perez ad tit. C. de Tabul. n. 9. Hahn ad*  
*Wes. tit. de Off. Prator. in fin. vers. gesta à Notzr.* Contrariantur ta-  
men sententiæ huic tum textus juris Civil. tum jur. Can. Atque hujus  
quidem in *Can. 1. c. 34. quasi. 1. & 2.* ubi Leo Pontifex colligit mu-  
lierem, quæ audiverat maritum in captivitate esse mortuum, alii nu-  
bentem, atque ad reverlum priorem maritum redire nolentem, ex  
mala voluntate matrimonium secundum iniisse; atque sic ideo il-  
lam ecclesiastica communione privandam esse statuit. Illius vero  
in *l. fin. 34. C. ad L. Jul. d. adulter.* ex quo textus Dd. hoc axioma for-  
mant: Qui nunc incontinens est, & retro talis præsumitur. *Everb.*  
*Loc. 90. n. 19.* Imperatores concludunt ibi, eos qui adulterii fue-  
rint accusati, atque obtentu proximitatis intentata depulerint, per  
commemorationem necessitudinis crimini fidem derogando, dum  
existimatur non debere credi quod allegatur, vel non posse com-  
mitti; si postmodum nuptias suas consortiumque convenerint, faci-  
nus adulterii, de quo antea fuere accusati, manifesta fide atque indi-  
ciis publicare. Volunt etiam in eos severissime animadverti, & fa-  
cinus veluti convictum & confessum puniri. *Ménoch. L. V. §. 41. n.*  
*8.* Quis non videt, hic à præsentis ad præteritum, vel ab uno præte-  
rito ad id tempus, quod hoc antecedit concludi, & non concludi  
tantum, sed conclusum his casibus tanquam compertum haberi, ut si-  
mul dispositio legis fuerit adjecta? Cur ergo non liceret argumen-  
tari: qui semel malus fuit, ille & retro talis credendus est? cum &  
valde credibile sit, eum qui semel peccavit, & antea, si peccandi oc-  
casio adfuit, peccasse: neque enim potest quisquam ut ait *Cic. in O-*  
*rat. ad Senat. post reditum, repente vita mutari, aut natura con-*  
*verti.* Scil. habet tempus præsens quandam connexionem cum præ-  
terito *Ménoch. L. 1. q. 24. n. 44.* Atque ideo hanc illationem nec ex In-  
E 2  
terpre-



terpretibus nostris quidam improbant, quando quærant: utrum bonis hæretici publicatis ac omnibus Titio venditis, creditores possent agere contra emptorem? & disting. num eo tempore quo hæreticus cœpit obligari creditoribus, fuerit hæreticus nec ne, an dubium sit. Priori casu negant quæstionem, quia jam eo tempore facultatem disponendi de rebus suis amiserat *c. cum secundum LL. de hereticis in 6to.* secundo affirmant; tertio vero itidem negant, quia in dubio pro hæretico habendus est, cum præsumtio habeat vim retrogradam *Alber. de Rosa in l. in eum qui ff. de jure fisci Everb. loco. 90. n. 20.* Sic quæ in meretricia veste reperitur, non præsumitur virgo. *Mascardus Concl. 1067.* Pari ratione inferunt, maritum qui non luget uxorem, nec servat patriæ consuetudinem circa luctum, potius induit vestes festivas, suspectum esse de procurata nece uxoris: *Foller. in Pract. Crim. p. 1. Part. 2. quod suffocav. uxor. n. 40. 44.* Alia exempla extant in *art. 40. 37. Constit. Crim.*

§. XXXII. Non potest tamen ipse *Alciatus* diversæ aliàs sententiæ Autor hanc rem dissimulare: qua de causa varias excogitat distinctiones, quibus argumentum à præsentis ad præteritum vel præteritò, ad aliud præteritum locum habere possit, vel non; tum in genere, tum speciatim in præsumptione malitiæ. Quod & *Everhard. facit* loc. top. 90. De aliis causis non erimus jam solliciti: saltem quoad malitiam notamus, omnia illa quæ prolixè *Alciat. & Everb.* de ea tanquam re contingenti tradunt, eo redire, ut à præsentis statu malitiæ, ad præteritum argumentari queamus, si modo status, præsens cum præterito concurrere possit, vel soleat. Sic e. c. qui semel usurarius vel fornicator fuerit, & retro talis præsumitur, sc. quoad illam ætatem, in quam vitium hoc cadere potest. Non ergo præsumi debet, in primis pueritiæ annis illum talem fuisse. Porro qui senex avarus est, non statim talis præsumitur juvenis, cum avaritia senum proprium vitium sit, non juvenum, juxta *Terentii* illud in *Adel. act. 5. sc. 9. Vitium commune omnium est, quod nimium ad rem in senectâ attenti sumus. Conf. Arist. II Rhet. 12. Claremont de Conj. hom. mor. L. 2. e. XI.* ubi vitia senum, juvenum & virilis ætatis recensentur.

§. XXXIII. Etsi verò *Alciato & Menoch. Con. 1006. n. 47.* facile lagior, non æque semper fortem hanc præsumptionem, ac illam, quæ



quæ de præterito ad præsens, præsentem ad futurum sumitur: ex ante tamen dictis apparet, ita fortem interdum visam fuisse, ut notissimos præsumptionis juris terminos egressa in præsumptionem juris & de jure transmutetur. Imo iis casibus fortis & violenta haberi potest, quoties malum posterius cum priori, cuius quis insimulatur, magnam habet connexionem, atque vel ad illud prius occultandum dirigitur, vel aliquis ex malo priori lucrum percepisse dicatur. *c. 2. de renunci. in bto.* Exempla vid. *C. 3. §. 26. 27.* Cæterum quando in terminis simplicis præsumptionis juris stat, vim si non omnem plane, magnam tamen partem amittit, si is qui malus apparuit, desisterit à malo: ob desistentiam enim, inquit *Romanus Conf. 236. c. 2.* ab iniquo vivendi genere reversionemque ad bonum, quis fingitur novus homo, adeo, ut fingatur nunquam fuisse illum talem, qualis fuit tempore malitiæ commissæ *Id. c. 18. n. 50.* Id quod eo magis verum est, si non sæpè, sed unica tantum vice malo fuit; quoniam tunc, ut supra dictum, ex impetu magis, quam ex proposito deliquisse præsumi potest. Ex dictis autem facile apparet, instrumentum à Notario confectum, de quo constat illum postea falsum commisisse, multum fidei amittere: quoniam tamen hic simul tertii interest, putarem, rem arbitrio iudicis esse relinquendam, qualem fidem instrumentum tale mereretur. *arg. c. 13. de præb. in bto. l. 16. ff. nequid in loco publico. c. 17. X. de sentent. & re iudic. Conf. Mast. C. 1006. n. 60.*

§ XXXIV. Porro hanc argumentationem locum à præsentem circa præsens, vel à præterito circa præteritum, habere dicunt *Dd.* unde si quis de præsentem est criminofus, dicunt, præsumi contra eum, quod non accuset eum bono Zelo *c. qui crimen 6. X. d. Accus.* Eodem modo ex eo, quod aliqua mulier prius quam ad Diaconum venit, & post ejus obitum incontinenter vixit, præsumi, quod non fuerit uxoriaconi per. *text. c. quia sunt culpa Dist. 28.* Ex quo concludunt, quod non præsumatur conversus ecclesiæ, qui focariam habuit, & bona propria possedit, & veste laicali utebatur: quod notari volunt contra Abbates illos, qui avaritia excoecati sub tali colore bona decedentium sibi usurpare conantur. *Everhardi loc. top. 90. n. 3. §. 17.* Huc referunt, quod non credatur regulariter confesso se crimen commississe contra alios, quos dicit complices *l. f. C. de accus. ubi Gl. Men. de præsumt. l. 1. §. 24. n. 2.* Quod si tamen

*Quid sentiendum de argum. à præsentem circa præsens, vel à præterito circa præteritum.*



penitius hanc rem inspiciamus, apparet facile, hancce collectionem coincidere cum illis, de quibus supra §. xxiv. xxxi. à nobis actum fuit. Exemplaque ista quæ jam retuli, & quæ cumulant Dd. illuc commode re ferri possunt: atque sic omnia quæ ibi dicta, hic quoque applicanda erunt.

*Præsumtio  
hac deri-  
vatur in  
liberos.*

§. XXXII. Post hæc maxime notabile est, præsumptionem hancce derivari in liberos. Quoniam n. liberi parentibus vitam atque substantiam, animam & corpus ceu causæ effectus debent, credibile sane valde est, iisdem qualitatibus, affectionibus, & complexionibus liberos gaudere quibus parentes gavisi sunt, juxta dialecticum illud: *Qualis causa, talis effectus.* Quid? quod liberi parentum vel præceptis vel exemplis imbuti ad illorum mores facillime deducuntur.

*Scilicet expectas ut tradat mater honestas,  
Aut alios mores, quam quos habet?*

scite canit *Juvenal. Satyra 6.* Atque cum omnia adolescentes, quæ oculis excipiunt tanquam simiæ imitentur, fit sane, ut quæcunque à parentibus, maxime si præsentior & assiduior eorum conversatio est, fieri vident, ad unguem facere nitantur; assuefacti demum secretiore quadam vi agente perpetuò perseverant, ut primo imbuti fuerint. Ad quam sententiam eleganter *Plutarch. de Educat. liber* philosophatur. Hac de causa Cic. pro Roscio Commodo, nemo, inquit, ex improbo patre probum filium nasci posse existimavit. Sc. *καὶς ἄνευ πατρὸς κακῶν ὄντων.* & metuenda sunt paterni criminis exempla in liberis l. 5. C. ad L. Jul. Majest. præsumiturque eodem vitio laborare liberos, quo parentes can. si gens Ang. d. 58. l. 31. §. 21. ff. d. Edilit. Edict. Sic si pater fuit factiosus, etiam filius talis præsumitur l. 5. C. ad L. Jul. Maj. Gram. conf. 13. n. 5. Conf. 18. n. 5. si pater fuit in continens, filius etiam talis præsumitur. dist 56. Alciat. de præsump. reg. 1. præsumpt. 24. sic filia præsumitur impudica, si mater talis fuit Bald. in l. liberti C. de oper. libert. l. si filiam n. 2. C. de in off. test. De qua re *Juvenal. Satyra 14.*

*Expectas ut non sit adultera Larga*

*Filia, quæ nunquam mater non dicere mæchos*

*Tam cito nec tanto poterit contexere cursu,*

*Ut non ter deciss respiret.*

In



In quem modum & ille apud Terentium in Heavton. ratiocinatur.

*Sed vereor, ne absente me hæc mulier corrupta sit.*

*Concurrunt multe opiniones, quæ mihi animum ex augeant,*

*Locus, occasio, ætas, MATER, sub imperio cujus est, mala.*

Omnia autem hæc habent locum non tantum in liberis legitimis, sed & in illegitimis *arg. l. 6. ff. de in jus vocand. l. 22. C. de Agricol. & censit. emancipatis atque in potestate constitutis, quoniam communio sanguinis in omnibus hisce habet locum i. Perez. in C. ad L. Jul. Majest. n. 2. quæ ratio in adoptivis cessat Eckolt. ad ff. d. tit. §. 13. in masculis & foemellis, quamvis interdum contra masculos liberos, fortior præsumptio sit in eo delicto, quod magis frequenter in sexum masculinum, quam in sequiorem cadere solet. quale exemplum singulare est in jam sæpius alleg. l. 5. C. ad L. Jul. Maj. tam in libris primi, quam ulterioris gradus, qui & avorum quorum sanguine procreati vitia imitari creduntur, si de probitate intermediorum parentum non constat. Menoch. L. 5. C. 38. n. 12. sive hi vel illi ante vel post commissum delictum nati sint gloss. in c. si quis cum milit. C. 6. q. 1. & quos fuse all. Menoch. d. l. n. 16.*

§. XXXIII. Quoniam autem parentes atque liberi relationem quandam inter se habent, atque sic id quod de uno relatorum dicitur, de altero etiam dici potest, nisi insignis diversitatis ratio queat demonstrari. *l. fin. ff. de acceptil. l. fin. C. d. indict. viduit. tollend. Everhard. in loco de corrolativis p. 8. non malè dici potest, à qualitate liberorum ad qualitatem parentum inferri posse. Conf. dicta §. 28.*

*Argumentatio valet à liberis ad parentes.*

§. XXXIV. Interim certum est, utramque hanc præsumptionem tantum esse præsumptionem juris, sicque admittere contrarii probationem. Satis n. multa antiqua & recentia in Sacris & profanis Historiis existant exempla, & bonos parentes malos liberos procreasse, & bonos liberos ex malis parentibus esse natos, quamvis hujus rei rariora forte, quam illius exempla contingant. *c. recurat. 2. c. 32. q. 4. Val. Max. l. III. c. 5. Ælius. Spartianus in vita Severi Imperat. Mascard. c. 222. n. 7. Tiraquel lege Connubiali. 1. Extat tamen in jure nostro casus, ubi præsumptio hæc & juris estet de jure, nempe in jam sæpe alleg. l. 5. C. ad L. Jul. Maj. juxta quam in liberis perduellionis, paterni criminis exempla non*

*Præsumptio hæc est juris.*

*can-*



tantum metuenda dicuntur, verum etiam ob fortem præsumptionem sanctio poenalis in liberos simul est constituta, ita tamen, ut quia filias minus auras creditum fuit, mitior etiam his sententia sit dicta. vid. de hac l. eruditif. tract. *Jacob. Gothofred. ad d. L. 5. C. ad L. Jul.*

*Quid præsumendum si pater bonus, mater mala.*

§. XXXV. Dum hæc scribo in mentem mihi venit illius casus, ubi pater bonus est, & mater mala, vel pater malus, & mater bona: quo quæritur, quid præsumendum in dubio sit de liberis? Non est hujus loci illud excutere Physicorum & Medicorum quæsitum: Utrum genitori vel genitrici plus tribuendum sit in actu generationis? Id saltem dicendum est, matrem non tantum concurrere ad actum generationis, sed etiam fovere & alere foetum conceptum, interdum & editum: qua in re patris nullæ sunt partes, nisi remotas illas huc advocare velis, quibus parens ipsi matri de alimentis prospicit, atq; alias & matris & partus curam habet. Quo posito non potest non dici magis participare partum de natura matris, cujus pars corporis fuit, & ex qua incrementa cepit. Ex quo porro colligo præsumptionem magis ex persona matris, quam patris vel pro liberis vel contra liberos esse capiendam: præsertim cum & mater semper certa sit; pater autem minimè, sed is saltem habeatur, quem justæ nuptiæ demonstrant. *l. 5. ff. de in jus vocando ac pr. l. de Ingen. l. 83. de Condit. instit.* Nisi ex educatione & conversatione aliud colligi possit, quibus multum in fingendis formandis ingeniis, moribus adscribendum esse, jam supra monitum est.

*Valet argumentum a malitia Gentis.*

§. XXXVI. Deniq; à malis moribus Gentis vel Nationis cujusdam ad singulos de illa gente præsumitur. *l. 31. §. 21. ff. d. Ædilit. Edict. c. si gens Anglorum n. 10. dist. 56.* quod argumentum exequitur *Cic. in 2. Orat. d. L. Agra: contra Rull. § L. 1. de Divinatione* cujus rei causas apud *Tiraquell. l. 7. Connub. gloss. 1. p. 7. n. 14. Neubusiu n in Theatr. in genior. l. 2. Barcl. Icon. anim. c. 2. Claremont. de Conc. hom. mor. L. 2. legere licet.* Imo etiam, si quis semel malo consortio usus fuerit, malitiæ præsumtionem contra se excitat. *l. adilis §. hoc autem ff. de Ædilit. Edicto Mascard. de probat. Conclus. 1005.* Cujus rei exemplum de juvene vel juvencula inter meretrices versante retulit. *Dambud. Pr. Crim. c. 45. n. 11. Conf. Carpz. q. 12. n. 35. seq. Masc. c. 1006. n. 66.*

*It. à malo consortio.*

§. XXXVII.



§. XL. Maxime autem intenditur hæc præsumptio, si de pluribus actibus malitiæ constet; etiamsi bini sint saltem: nam quod bis fit, frequenter fieri dicit *Nov. 5. de Defens. Civ. multo magis si tres ad sint. L. Servor. C. de vi publ. Farin. q. 23. n. 26.* Quod quis enim semel atque iterum agit, id ex consuetudine agere videtur, cujus, si mala est, tanta est corruptela, ut ab ea igniculi extingvantur à natura dari, exorianturq; & confirmantur vitia contraria. Qua de causa consuetudo altera natura vocatur, quam furca licet expellas, tamen usque recurret. vid. *Crusius de Indic. p. 1. c. 104. Carerius in pract. Crim. p. 61. Alexand. Conf. 5. vol. 1.* Intenditur etiam tunc, si persona in quam cadit sit vilissimæ vitæ, quippe cui tanta cura virtutis, quanta honestioribus haud esse solet. Sic ministra tabernæ præsumitur meretrix, quando vel unum admittit. *Farin. Qv. 141. n. 88. Brunn. ad L. 29. C. ad L. Jul. de Adult. licet alias ab uno illicito commixtionis actu ad vitam meretriciam argumentari haud liceat. B. D. Ziegl. ad Lanc. L. 2. T. 10. Mascard. L. 2. Concl. 1067.*

§. XLI. Quemadmodum autem Dd. dicunt quemlibet præsumi bonum, non tamen optimum: *Mascard. Conclus. 222. n. 14.* unde si statuto caveatur, ut ad probationem alicujus negotii testes debeant esse optimi, quale statutum de morte decedentis extra territorium Bononiæ esse dicit *Pacia. L. 1. c. 53. n. 60.* probari debet, quod quis optimus sit. *Angelus in l. 2. §. in diem. ff. Quemadmodum test. aper. Alciat. Reg. 3. præsumpt. 2.* ita etiam eodem modo dici potest, semel malum, semper malum quidem præsumi, non tamen quidem statim pessimum. Nemo enim repente fit turpissimus, sed innocentia per gradus ab homine discedit. Pulcre *Cic. in Orat. pro Publ. Syll. Quod quis (inquit) cogitaverit vel voluerit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus ejus, qui arguitur, est ponderandum, neque enim etiam potest quisque nostrum subito fingi, cujusquam repente vita mutari, aut natura converti. Nemo repente fit summus, nemo repente turpissimus. Conf. Peckius Reg. 8. n. 8.*

§. XLII. Deniq; antequam hoc finiamus caput, illud addendum adhuc duxi, illam limitationem Dd. nullius esse momenti, quando dicunt non locum habere de crimine occulto axioma nostrum, quia aliquis non præsumeretur simile facturus, sed potius facere poenitentiam de eo. *Alciat. Reg. II. præf. 7. in fine Menoch. L. V.*

Quando  
præsumtio  
hæc inten-  
datur?

Nemo ta-  
tamen  
præsumi-  
tur pes-  
simus.

Notatur  
Alciatus  
Menoch.

pres.



*pres. 32. n. 46.* Nam si occultum est, per se patet cessare præsumtionem ex illo: supra enim fuit ostensum de malitia constare debere, antequam præsumptioni sit locus. Quis quæso enim ex eo, quod ignorat, aliquid colligere potest? De occultis non judicat Ecclesia, nec Respublica. Sicque hoc casu inepta plane, & otiosa limitatio est. Si autem aliis & Judici præsertim de delicto illo constat, non amplius dici poterit occultum. Atq; & sic tunc limitatio cessabit.

### CAP. III.

#### De Effectu & Usu axiomatis:

*Semel malus, semper malus.*

##### §. I.

*Connexio.*

**E**X iis quæ hætenus dicta patet, usum & effectum axiomatis hujus esse insignem in genere judiciali & quidem in statu conjecturali, quando nempe alterius culpam, vel dolum arguimus, vel metuimus. Sic, quando exempli causa intentio est: falsum commisisti, occidisti, &c. depulsio est: non commisi falsum, non occidi. Unde quæstio oritur: commiserit ne falsum? occiderit ne? Sic si intentio est: calumniaris accusator; depulsio: non calumnior. Quæstio inde oritur; calumnietur ne? Porro si intentio sit: perjurium hic testis est commissurus; depulsio: non est commissurus. Quæstio nascitur: metuendum ne sit perjurium, nec ne? Quod si ergo probetur, illum contra quem intentio est, alias contra officium peccasse, præsumitur & hoc, de quo quæstio est, illum vel commississe vel committere, vel commissurum esse. Quæ præsumptio tamdiu pro veritate habetur, quamdiu probatum non est, emendatum illum esse, vel illud cujus insimulatur non commississe, nec committere in præsens. Nam ut aliquoties dictum, præsumptio hæc regulariter juris solummodo est, & sic non respuit contrarii probationem. Quotiescunque verò cum hac præsumptione concurrat juris dispositio; toties contrarium probare velle integrum haud est. Cujus rei rationem, & exempla supra jam in medium produximus.

*Prodest  
tam reo,*

§. II. Non solum autem hæc præsumptio illi, qui actoris vel accusatoris partes sustinet, prout ex verbis *Cic. supr. c. 2. §. 5.* relatis



latis satis constat, verum etiam reo, vel ejus defensori ad excipien-  
dum prodest, cujus exempl. l. 7. §. 3. ff. de Accus. satis perspicuum  
habetur; atque infra plura occurrent. Num cur id quod actori  
prodest, reo non etiam prodesset, cujus partes alias in multis sunt  
favorabiliores? l. 41. 125. ff. d. R. f. l. 4. §. u. C. de Edent. Brunn. ad tit. C. de  
Comit. Consi. in fine. Pertinet huc quod in Epistola III. Fabiani Pon-  
tificis in Collectione Isidori habetur: Ob id ergo statuentes decerni-  
mus, ut hi qui non sunt bonae conversationis, aut quorum vita est ac-  
cusabilis non, possint Domini sacerdotes accusare. Item similiter hi,  
qui in aliquibus criminibus irretiti sunt, vel qui sunt suspiciosi, vo-  
cem adversus majores natu non habent accusandi; quia suspiciosa  
vox & inimica veritatem solet opprimere. Sed Epistolam illam sup-  
posititiam esse, æque ac alias ab Isidoro orbi obtrusas, docet Dav.  
Blondellus in Pseudo-Isidoro. Conf. Carpzov. Pr. Crim. q. 105. n. 20. 21.

§. III. Illud verò jam aliquoties fuit monitum, non semper æquale  
esse hanc præsumptionem; sed modo fortiorè modo leviorè: ex quo id  
sequitur: neque æqualem semper ejus esse effectum; sed modo ma-  
jorem, modo minorem; posseque etiam illam modo majori, modo  
minori contrarii probatione elidi. vid. quæ sup. §. VI. C. 1. Men. L. 1.  
q. 29. Quã fortis autè hæc præsumptio sit, & qualis effectus istius, regula  
universali vix comprehendere poterit; sed ad officium prudentis judicis  
pertinebit, habita ratione omnium circumstantiarum, quarum mi-  
nima jus variat, arbitrari, quantum quolibet contingenti casu tri-  
buendum sit regulæ nostræ. a. l. 1. §. ult. ff. de Jure delib. L. 1. C. de divort.  
fact. l. 5. §. 6. ff. de re milit. Men. d. Arb. Jud. Q. L. 1. proem. n. 5. q. 14. n. 3.  
quod tñ. arbitrium non vagum, cerebrinum, sed, uti loquuntur Dd.,  
regulatum a Jure esse debet. l. 30. ff. de op. Lib. Cagnol. l. 8. ff. d. R. J.

§. IV. Interim tamen illud certum, omnium fortissimam il-  
lam tunc esse, si dispositio Legis accedat, atque sic præsumptio ju-  
ris adsit & de jure. c. Vid. supra. C. 1. §. IV. & C. 2. §. V. Reliquæ, quæ  
intra præsumptionis juris terminos consistunt, collectiones omnes  
minoris sunt efficaciz. Omnium autem minima illa est, quæ à per-  
sona ad personam, vel à gente ad gentem fit, de quibus cap. præced.  
§. xxxv. seq. dictum fuit.

§. V. Quam in gentem usum per universum jus habeat axio-  
ma nostrum, ex dictis antea satis liquet: non putamus tamen operæ

quam a-  
ctori

Arbitrium  
Judicis  
hac in re  
maxime  
habet la-  
cum.

Quandois  
presumps  
hac forti-  
sima sit.

Usum axio-  
matis in

pre-



*universo  
jure.*

*Ufus in  
causis ci-  
vilibus.*

pretium de fore, si paulo fusius hancce rem demonstrarem, & quidem  
tum in causis Civilibus, tum etiam in Causis Criminalibus.

§. VI. Atque primò quidem in *l. 2. ff. §. fin. l. de his qui sui  
l. alieni juris sunt*, exempl. occurrit, ubi Dominus qui in servos sæ-  
viit, vel ad impudicitiam turpemque violationem compellavit,  
semper tale quid facere præsumitur. Cui præsumptioni & LL. dispo-  
sicio accedit, ut sc. invitus Dominus talis cogatur vendere & qui-  
dem ita, ut in potestatem domini servus non revertatur. Aliud exempl.  
occurrit in *l. 2. C. de Senat. qva Marcell. vult cum Cassio Longio ob  
turpitudinem Senatu motum non posse judicare. & in l. un. C. de  
Reis postul.* ubi qui semel in administratione Republ. male versatus  
est, in posterum id facere præsumitur: qua de causa lex ibi disponit  
ne ad novos honores adspiret, antequam purgaverit innocentiam  
suam reus talis. Porro in Pontificio jure in *o. 1. de filiis Presbyteror in  
6to. & dist. 56.* prohibetur, ne illegitimi nati, quales filios Presbyte-  
rorum Pontificii habent, non possint sine dispensatione promove-  
ri, quia timetur paternum crimen in liberis. Et juxta *c. 6. d. 61.* non  
potest, qui semel malus fuit, ad Episcopum eligi. *conf. N. 132. c. 1. Ever-  
hard. loc. 90. n. 2.* qua de causa & studiosos Theologiæ, qui in Aca-  
demiis luxuriosè vixerunt, ad sacra Ecclesiæ ministeria non admitti  
debere, nisi se emendatos probent, pie docet *B. D. Brunn. L. 1. d.  
1. Eccles. L. 1. c. 4. §. 10.* quæ res si magis curaretur, Ecclesia sine du-  
bio multis hominibus carere posset, qui scandalo plus nocent,  
quam doctrina profunt.

*In causis  
matrimo-  
nialibus.*

§. VII. Nuptias illos tantum inire posse, qui justæ sunt æta-  
tis *expr. l. de Nupt.* notissimum est. Quod si tamen ante legitimam  
ætatem malitia se prodatur, atque natura in actus libidinosos prorump-  
pat, credibile est, malitiam illam incrementa potius quotidie capere  
quam de crescere: qua de causa ne vagis libidinibus detur occasio,  
matrimonium inire ante legitimam ætatem conceditur *c. 9. X. de  
despons. impub. Carpz. L. 2. f. 12. n. 21. Jurisp. Conf.* atque sic casus  
datur ubi ex præsumpta malitia commodum quis nancisci potest.

*Quoad fi-  
liationem.*

§. VIII. De filiatione sæpe quæstio occurrit. Si quis cum  
quodam aliquo sætem tempore rem habuisse negare non pos-  
sit, in assignando patre isti mulieri fides habebitur, cum alias filia-  
tionis probatio directo fieri non possit *l. 33. ff. d. condit. & demon-  
strat.*



*Strat.* atque foeminae intentio in praesumptione juris est fundata, quae onus probandi illam cum aliis concubuisse in adversarium rejicit, quod usque adeo procedit, ut is qui confitetur, se eam cognovisse, dicat tamen de alio tempore, vel illam cum aliis rem habuisse, lite pendente ad alimenta teneatur *Carpz. L. 4. Resp. 60. Struv. Jurisp. Forens. L. 1. tit. 15. §. 8.* quae omnia ita se habent, si modo foemina antea honeste vixerit. Nam si aliis palam aditus ad talem foeminam patuerit, aut saltem in occulto facilis accessus fuerit, fides ei non habebitur. *Christinaeus ad Constit. Mecklinens. tit. 18. art. 4. n. 7.* cum talis venter fuerit incustoditus, & ut Dd. loquuntur, latitudinem habuerit peccandi. *Gail. L. 2. Obs. 97. n. 12. Men. L. 1. q. 15.*

§. IX. Porro, quemadmodum partus etiam undecimestris vel duodecimestris pro legitimo haberi solet, si vidua sit honestae famae, atque cum marito concorditer vixerit eumque valde dilexerit *Mag. Dn. Stryk. de success. ab Intest. c. 2. Sande L. 4. Detif. Fris. tit. 8. Decif. 10.* Imo Partum 14. mense editum pro legitimo habitum fuisse *Gothofred. ad Nov. 39.* notat: ita si vidua alias luxuriosa fuit, minusque caste vixit, vel illi cum marito non bene convenit, non levis praesumptio est partum non ex marito, sed ex alio esse susceptum. *Myns. c. 6. v. 4.* Sic etiam quae ab alio impragnata est, illudque reticuit & cum alio matrimonium contraxit, praesumitur in futurum impudica. Qua de causa, quicquid Pontificium jus in contrarium habeat *in c. un. c. 29. quest. 1.* in matrimonio illam retinere non cogitur, sed restitutis bonis illatis cum dimidietate donorum nuptialium eam dimittere potest. *Carpz. Jurisp. Consist. L. 2. f. 193. seqq.* Atque ob eandem rationem nemo quoque illam quae durante matrimonio aliis corporis copiam facit, retinere tenetur, sed ad divortium agere potest, & quidem tum quoque, si saltem ex actibus malitiae de adulterio praesumptive constet. Id quod jure Justiniano nullum dubium habet *ob l. 8. §. 11. C. d. repud. Nov. 117. c. 8. 9.* quo non tantum divortio datur locus, si de viri aut uxoris adulterio plene constet; sed etiam tunc, si maritus cum impudicis mulieribus versetur: aut uxor extraneorum virorum marito ignorante, aut nolente convivia appetat, aut ipso invito sine justa probabili causa foris pernoctet &c. aut commune lavacrum cum viris libidinis causa habere audeat. Notissimum quippe

*Ab alio  
impragnata  
tam nemo  
tenetur in  
matrimonio retinere.  
Nec adulteram.*



pe est; jus illud in divortiis concedendis satis liberale esse, & quodammodo judaizare. Eandem tamen sententiam ex Jur. Canon. Dd. asserunt *c. literis 12. c. 13. X. d. presump. c. 27. X. de test.* & quidem non tantum Pontificii, uti videre licet apud Dd. ad d. c. & *Masc. c. 57. n. 5. C. 59. n. 10. Menoch. L. 5. pres. 4. Farin. quest. 36. n. 18.* verum etiam *A. C. addicti Harpr. §. 4. l. d. publ. jud. n. 59. & noviss. Bruck. Decis. Jur. matrimon. c. 17. n. 37.* Sed cum neminem, Juris Canon. perpetua illa hypothesis fugiat, ob adulterium non nisi à thoro, non vero à vinculo separationem fieri, quam & Pontifex in ipso *c. 12. X. de presump.* non dissimulat: dubium certe est, num capitula ista ad separationem à vinculo obtinendam allegari possint. Tam verum est quam quod verissimum, Christi verba *Matth. V. v. 32. XIX. §. 9.* de eodem repudii genere, quale apud Judæos in usu erat, h. est à vinculo intelligenda esse: illud tamen ad huc videtur egere probatione, eadem non tantum de adulterio probato, sed etiam presumpto esse intelligenda. Interim praxis nostræ Ecclesiæ non quidem ob quaslibet d. ob vehementes & violentas presumptiones, quæ ad torturam alias sufficiunt, divortium à vinculo admittit: quod eo facilius concedi potest, quia versamur in delicto, quod occulte & remotis arbitris fieri solet, atque difficillimæ est probationis. Quod si ergo maritus cum meretrice affugerit, vel uxor cum juvene; quod si nudus cum nuda in uno lecto jacuerit, vel quod magis, si de coitu reali constat, licet non de consumatione, separatio totalis habebit locum, *Mag. Dn. Stryk. ad Brun. Jur. Eccles. L. 2. c. 17. §. 28. D. Nicol. d. Divort. C. 1. n. 54.* Hisce autem casibus quibus divortium ob adulterium presumptum fieri potest, & dotem & donationem propter nuptias amitti ne utriusquam erit ambigendum *N. 117. c. 8.* Neutrum tamen locum habebit, si tantum osculum probetur, etsi forte tale sit, quod libidinosum vel impudicum vocant, & *Aristophanes κατὰ γλώσσιμα* dixit. *Menoch. L. 5. pres. 41. n. 33. Harpr. ad tit. d. publ. Jud. §. 4. n. 72.* Licet autem de hoc posteriori genere quidem secus sentiant: *Alciat in Parerg. L. 4. c. 10. & qui late allegantur Menoch. d. l. prior* tamen sententia æquior nobis videtur; quamvis non exclusum velimus judicis arbitrium, qui ex circumstantiis arbitrari debet, num & quid mali ex tali osculo colligendum.

§. X.



§. X. Facilius autem repudia ex iisdem fontibus fieri possunt, si *Sponsalia* sponfa ante vel post sponsalia stuprum passa, aut sponsus ante *posse divi-* vel post sponsalia fornicationem commisit, licet saltem præsum- *mi ex no-* ptive de fornicatione vel stupro constet *c. 25. X. d. Jurejurando. Stra præ-* *Carpz. d. l. def. 184. sqq. Nicol. de repudiis & divortis C. c. 2. sumptione.* *n. 66.*

§. XI. Dum de usu axiomatis nostri in rebus matrimoniali- *Num Vi-* bus agimus, illa quoque expedienda est quæstio, num vidua quæ *dua forni-* post mortem mariti fornicatur & luxuriosè vivit, dotem amittat? *catrix* *•* Notum est, & jam in §. IX. dictum quodammodo, ad poenas adul- *mittat do-* terii etiam pertinere dotis donationisque propter nuptias amissio- *tem.* nem. *l. 8. §. 3. C. de Rep. N. 117. c. 8.* de qua re late agit post alios *Carp-* *zov. Pr. Crim. q. 64. 65.* ubi & dubium ex *N. 134. c. 10.* ortum remo- vet. Tradunt etiam non malè *Dd.* de vidua tali fornicatrice præ- sumendum esse, quod & vivente marito non caste vixerit. *arg. N. 39. c. 2. Menoch. L. 5. præf. 32. n. 18.* aliique ab eo citati. Ex quo porro concludunt, viduam talem dotem perdere. *Bartolus in L. si mulier per C. ad L. Jul. de adult. Jacob. Thoming. Dec. 28.* qui hanc opi- nionem communem dicit; quamvis alii hic varios casus distingvant. Uti videre est apud *Carpz. Pr. Cr. q. 65. n. 41. seq.* Nobis negativa placet: quoniam præsumtum hoc adulterium poenam talem mere- ri nulla lege cautum legitur, cum *Julio Claro L. 5. Sent. §. stu-* *prum n. 5. Alciat. Reg. 2. præf. 9.* aliisque, qui magis communem hanc sententiam & benigniorem dicunt. *Carpz. d. l. n. 40.* Accedit quod heredibus Jure communi vix detur actio vel exceptio contra viduam ob adulterium vivo marito commissum, sive hic sciverit s. ignora- verit, cum tale quid ad meram vindictam tendat *l. 8. §. 4. v. vindi-* *care. C. de repud.* quibus casibus non transire actiones notum. *§. 1. J. de perpet. & temp. act. Boer. d. 338. n. 7.* Nullum negotium facessit *Nov. 39. c. 2.* quippe quæ solum de illis viduis agit, quæ intra annum luctus luxuriosè vivunt, & *LL. de anno lugubri* latas sub prætextu operis carnalis concupiscentiæ eludere conantur. Has statuit iis- dem poenis & inter eas amissioni dotis esse subjiciendas, ac illas, quæ ante tempus legitimum nubunt. Quid? Quod à contrario sensu ex h. l. potest colligi; reliquas viduas extra annum luctus forni- cantes huc non pertinere. *A. l. i. ff. cui mandat. est juris: Everhard.* *l. 82.*



l. 82. Quæ sententia nostro in foro Sax. minus habet dubii ob  
textum L. 1. Land-Recht. art. 5. Carpz. Pr. Crim. q. 65. n. 49. qui  
& d. l. n. 73. docet, nec illud quod in d. Nov. de vidua intra annum  
lugubrem nubente vel scortante in Sax. in usu esse.

Usus in  
materia  
tutelari.

§. XII. In materia tutelari magnum etiam esse hujus axiomatis  
usum ex §. XXIX. c. 2. patet, possunt etiam similia exempla peti ex §.  
9. 10. & 12. f. de suspect. tutor. item ex §. 11. f. de Excusat. junct. l. 3.  
§. 12. ff. d. suspect. tut. ubi is qui semel inimicus fuit & in posterum  
inimicus præsumitur, qua de causa non admittendus est ad tutelam  
vel curam. Aliud exemplum ex Nov. 72. petit. Ludwel. qui Disp. 3.  
cb. 6. lit. dub. illos tutores removendos vult, qui dissimulato debito tu-  
telam susceperunt arg. l. 8. ff. de Tutel. Treutl. Disp. 8. cb. 4. lit. C.

In mate-  
ria testa-  
mentaria.

§. XIII. Quos LL. jubent improbos intestabilesque esse, in  
testamento testes esse non possunt §. 6. f. de Test. Ord. cujus rei ra-  
tio eo posita est, quia is qui ob improbum factum semel malus fuit,  
& in posterum talis præsumitur; atque ideo idoneus non habetur ad  
testimonium in re tam gravi. Quod omne capiendum est de illo  
teste, qui tempore testamenti facti inhabilis fuit: quod si enim eo  
tempore idoneus habitus, ac reputatus fuerit, & postea intestabilis  
factus, vel vitium ejus apparuerit, testamentum ideo nequaquam vi-  
tiatur. arg. §. 7. f. d. testam. Ordin. Farinac. d. destit. tit. 6. quest. 56.

In mate-  
ria Testi-  
monii al-  
terius.

n. 146. De testibus in aliis causis supra jam aliquid dictum, scilicet il-  
lum qui semel perjurium commisit, vel falsum testimonium dixit,  
non posse in posterum esse testem. §. XXV. c. 2. vel qui in una par-  
te falsum dixit, in alia falsum præsumi. Menoch. L. 5. pres. 12. Hic  
autem illud notari meretur, non tantum illam assertionem veram  
esse de illis testibus, qui mali in testimonio dicendo fuerunt, verum  
etiam si alias criminosi sunt, secundum ea quæ in l. 3. §. 5. l. 13. l. 20. &  
21. ff. d. testibus, habentur. ad quos Jure Can. etiam referendi omnes  
reliqui sunt, qui præter casus in d. l. comprehensos infamia juris la-  
borant c. 54. X. d. test. Imo etiam quodammodo illi, qui infamia tan-  
tum facti notantur, quorum fides non omni exceptione est major  
Carpz. p. 1. c. 16. f. 17. Et licet Jure Civili infamia juris notati,  
si non in specie prohibeantur, admitti possint, tamen suspecti  
habentur, nec omni exceptione majores. l. 3. ff. de Test. Carpz.  
d. l.

§. XIV.



§. XIV. Quæ uti vera sunt, limitationes tamen varias patiuntur, quarum una jam supra c. 2. §. 26. in medium est producta si sc. testis emendatus sit juxta c. testimonium. X. d. test. quam tamen assertionem in causa criminali criminaliter intentata ipse limitat Pontifex, si modo illa non sit modici præjudicii. Mascard. de probat. Conclus. 464. n. 8. & testis non producat pro rei defensione Mascard. Conclus. 1356. n. 17. imo etiam id quod de criminaliter intentata actione dictum, extendunt ad causas matrimoniales, & ad omnes, quibus requiruntur testes omne exceptione majores. Farin q. 56. n. 138. Altera limitatio est, si à parte sciente testis criminofus fuerit admiffus. Mascard. de Probat. Conclus. 464. n. 22. vel saltem contra illum nihil oppositum, quamvis hocce casu interdum judex ex officio testem talem repellere posset Farinac. d. testit. tit. 6. n. 145. qui latissime totam hanc materiam tractat, atque alias limitationes de criminibus exceptis, de criminofis testimonio contra criminofum, de criminofis Christiano contra Judæum, de casibus in quibus veritas aliter haberi non possit &c. agit. quæ transcribere non est nostri instituti. Omnibus autem hisce casibus Div. Hadriani monitum, cum qui judicat posse scire & debere etiam, quanta fides habenda sit testibus, quam maximè habet locum. l. 3. ff. d. testibus.

§. XV. Cæterum id saltem h. l. notandum est, illum qui testem criminofum dicit, id probari debere. Felinus in c. supra eo X. de testibus, nec esse permiffum in interrogatoriis rogare testem, numne sibi conscius alicujus criminis sit, ad qualem quæstionem testis respondere neutiquam est obstrictus: cum interrogatoria talia quippe quæ ad propriam detegendam turpitudinem tendunt; & occasionem perjuris præbent ad impertinentia & irresponsalia referenda sint. R. J. Noviss. §. es sollen aber Farinac. d. test. L. 3. th. 8. q. 37. quamvis liceat à contestibus quærere, an sciant contestem esse criminofum? l. 3. d. LL. Gilken ad l. 27. C. de fide Instrum. n. 55.

§. XVI. Mercatorum libris semiplenam probationem tribui *Ufus in* in foro, in vulgus est notum, etiam pro scribente mercatore ipso *materia* *Dn. Struv. S. J. C. Ex. 28. th. 24. 25.* quod si verò in una particula libri isti falsi inveniantur, totus liber falsus judicatur. *Farinac. Decis. torum.* *110. n. 3. Nicol. de Passer. d. Privat. Script. L. 4. rubr. de Libr. Mercat.* *n. 58.* Qui exiguam diligentiam rebus suis adhibet semel, ille & in *G* futu:



In Contra-  
ctibus.

futurum talem adhiberi præsumitur: atque hæc de causa; qui negli-  
genti amico rem custodiendam tradit, non tam ei amissionem rei,  
quàm suæ facilitati, id imputare debet §. 3. *J. quibus mod. re contrab.*  
*obligat.* imo etiam ille, qui parum diligentem socium sibi assu-  
mit, de se queri, sibi que hoc imputare debet §. *fin. J. d. Societ.*  
Si incendium in ædibus patrisfamil. ortum culpam patrisfami-  
lias ex veriori sententia illi tenentur probare, qui culpam  
factam esse dicunt, & ad præstationem damni agunt, quam sen-  
tentiam late propugnat *Philipp. ad Decis. Elect. Sax. 79. obs. 2.* li-  
mitationem tamen hæc sententia tunc caperet, si probetur patrem  
familias in igne custodiendo & carbonibus exstingvendis alias ne-  
gligentem fuisse, prout ex *Brunnemann. Decis. 66. c. 4.* jam supra fuit  
annotatum. Porro etsi dolus nunquam præsumitur, nec in contra-  
ctibus nec in delictis *l. 18. §. 1. ff. d. probat. l. 51. ff. pro soc. Klok. d. Con-*  
*tribut. c. 19. n. 667.* sed ab allegante probandus: præsumitur tamen  
tunc si quis non fecit, quod facere debuit *l. 44. ff. mandati l. 3. §. 9.*  
*eod. l. 1. §. 31. ff. deposit. vel si fecit, quod facere non debuit. l. 5. C. de*  
*Injur. l. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. 8. §. 9 ff. mandat. l. 7. ff. d. Administrat.*  
*rut. vel si quis contra legem mercatur l. 7. C. de agricult. l. vid. late*  
*Mascard. L. 5. Concl. 532. Menoch. L. 5. præf. 3.*

Ufus in  
Processu,  
intuitu ju-  
dicis.

§. XVII. Porro in processu quoque sæpius tum ratione Judi-  
cis, tum etiam ratione partium litigantium locum habere solet præ-  
sumptio hæc nostra. Sic si Judex semel ita se gessit, ut propter ali-  
quam causam suspectus haberi possit, & in posterum talis præsumi-  
tur. Idcirco æquissimo consilio utroque jure Can. & Civil con-  
stitutum est, ut nemo cogatur pati judicem, qui sibi sit adversus su-  
spectus & inimicus *c. quod suspecti 3. q. 5 l. 16. C. de Judiciis* ubi Dd. Quo-  
modo autem hac recusatio fieri debeat, passim Dd. docent. *vid. Au-*  
*frerius de recusat. Maranta in speculo p. 6. d. 6. de appell. n. 26. Ziegler.*  
*Dicass. conclus. 14.* quo casu & interdum pars ad juramentum per  
horrescentiæ admitti solet. *c. 11. de Rescr. in 6to de qua re Tractatus ex-*  
*stat D. Feltmann & Diff. Lauterbach.*

Quoad  
partes.

§. XVIII. Sic quotiescunque pars vel Advocatus ejus in judi-  
cio malitiæ speciem præ se fert, judex vel ad instantiam partis ad-  
versæ, vel ex officio juramentum calumniæ speciale exigere potest.  
*c. 2. §. fin. de juramento calumniæ in 6to quid Menoch. L. 1. q. 75.* Nec  
in foro Sax. aliter res se habet *Carpz. p. 1. c. 12. f. 20. 21.* Imo exactio jura-  
menti



menti malitiæ hæc in Electoratu Sax. etiam absq; prævia sententia extrajudicialiter fieri potest *Decis. Nov. Elector. 70.* Qui relevatus fuit à satisfactione per juratoriam cautionem, perdit illud privilegium, si semel præstiterit juratoriam cautionem & fuit repertus perjurus. *Masc. vol. II. c. 1006. n. 52.* Cæterum impedit interdum hæc præsumptio iuramentum necessarium à iudice deferendum *Carpzov. Process. Tit. 12. art. 2. n. 60. Berl. P. 1. c. 53. n. 7. Brunnem. c. 23. §. 27. Proc. Civ. imo etiam si jam delatum sit, iudex si perjurium metuat, id revocare poterit Vinn. L. 1. q. 43. Brunn. d. l. De usu in sententia ferenda infra magis commode agetur.*

§. XIX. Omnium autem maxime præsumptio hæc in causis Criminalibus, sive in Processu inquisitorio sive accusatorio tractentur utilitatem summam præ se fert, quam ut paucis adhuc ostendamus, institutum nostrum exigere videtur. Et de accusatorio quidem id vel ex sæpius allegata l. 5. §. 3. ff. de accusat. & illis quæ c. 2. §. 4. & c. 3. §. 2. dicta nullum habent dubium probantque id textus *Const. Crim.* qui de *Accusat. Process.* potissimum sunt concepti. De inquisitorio, ut idem dicamus, ratio exigit. Atque quoad hunc, illud facile concesserim in inquisitione generali non adeo multum conferre nostrum axioma, cum generalis hæc inquisitio saltim in eo occupetur, num revera delictum perpetratum sit, nec contra certam personam dirigatur, sed tantum in genere de autore delicti sit sollicita. *Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 107. n. 10.* Obligat tamen iudicem, ut studiosè inquirat, num tales personæ adsint, quæ alias malæ fuere, in quas suspicio mali jam commissi cadere possit. Esse etiam tunc potest locus huic axioma, si perscrutatione domestica ad investigandum corpus delicti sit opus. Quam iudex tuto sine admonitione suscipere potest, si Dominus ædium, vel inhabitans alias malus fuerit, & sic levissima saltem adest suspicio, cum posse esse, vel autorem, vel participem delicti. Secus autem si res se habeat, injuriam certe inferret iudex, si in honesti viri ædes irrumperet eo prius non salutato: qui tamen non denegare poterit hanc perscrutationem, cum e. g. fur rem furtivam, infanticida infantem occisum possit in ædes honestissimi viri ipso inscio inferre. *Marsilius in pract. Crim. §. diligenter. Gilhaus. Arbore Judicial. Crim. defurtis n. 21.* quamvis si salus publica id exigat, vel res non pateretur moram, etiam in salutato Domino investigationem fieri posse crediderim.

In causis  
criminalibus,  
in Processu  
accusatorio  
&  
inquisitorio.



Usus a-  
xiomatis  
in inquisi-  
tione spe-  
ciali.

§. XX. Major autem utique in speciali inquisitione quæ contra certam personam dirigitur usus axiomatis hujus sese ostendit, quem Carol. V. in Const. Crim. passim inculcat præsertim art. 25. §. erstlich ob der Verdacht eine solche verwegene oder leichtfertige Person von bösen Leimuth und Gerücht sey / daß man sich der Missethat zu ihr versehen möge / oder ob dieselbige Person der gleichen Missethat vor diesen geübt / unterstanden habe / oder beziehen worden sey. cui jungidebet art. 31. §. zum vierten art. 44. conf. Ord. Pol. sup Tit. von Justit. sumt. §. 1612. Rel. Grav. 166. §. 60. Quod si itaque Judex vel ex fama publ. vel ex denunciatione de hoc vel illo delicti autore certior fiat, atque illum semel antea apparuisse malum, officio ejus haud adversum erit, imo incumbet ut ad specialem inquisitionem se accingat. Si modo cætera paria sint, delictumque tale, quod inquisitione dignum, commissum dicatur, & si non plene statim, aliquo modo saltem de corpore delicti constet. *Brunn. c. 4. Process. inquisit. Sic e.g. si minæ præcesserint atq; effectus aliquis secutus, specialis inquisitio contra comminantem formari potest Dambud. in Prax. c. 10. n. 20.* Si inimicitia inter offensum & inter inquirendum intercesserit ad specialem inquisitionem statim perveniri potest. *Far. L. 1. q. 49. n. 105. Men. L. 1. q. 88 n. 18.* Aliud exempl. in art. 39. Ord. Crim. habetur, so Reifige oder Fußknechte gewöhnlich bey den Wirthen liegen und zehren und nicht solche redliche Dienste Handthierung oder Bilde die sie haben anzeigen können / davon sie solche Zehrung ziemlich thun mögen / die sind argwöhnlich und verdächtig zu vielen bösen Sachen und allermeist zur Rauberey &c. Qui locus etsi de indiciis ad torturam, uti & supra relatus loquantur: quoniam tamen leviora sine dubio ad inquirendum quam ad torquendum sufficiunt indicia, causa nihil video cur hic non possit allegari.

§. XXI. Patet ex hoc & antea allegato loco, non tantummodo eum, qui in eodem specie malo malus apparuit, sed etiam eum, qui in simili saltem vel eodem genere malo, vel etiam diverso plane talis fuit, in inquisitionis laqueos incidere posse: quod eo magis verum est, quo magis unum malum cum altero conjunctum, vel unum ad alterum ordinatum esse solet. Quid? quod sola illa præsumptio, quæ ex conversatione cum malis oritur, nisi con-

tra-



traria probatione, vel præsumptione saltem elidi possit, ejus vis est, ut, inquisitioni locus esse queat *art. art. 25. §. 3. um vierdten. Dam- bud. c. 10. n. 3.* Neutiquam tamen ego dixerim illam præsumptionem quam supra *c. 2. §. 35. seqq.* parentibus ad liberos & vice versa sumi posse dictum est, sufficere ad inquisitionem, nisi alia adminicula concurrant. Cæterum si præsumptio talis cadit in denunci- ciantem, vel eos, à quibus fama orta, multum ea proderit denun- ciato ad avertendam inquisitionem *Farin. q. 47. ar. l. 5. §. 3. ff. d. Accusator.* Qua de causa sola confessio socii criminis, sive sponte facta sive ad interrogationem Judicis non facit regulariter indici- um ad inquisitionem specialem *Carpz. Pr. Cr. q. 108. n. 58.* de qua re elegans exstat præjudicium in *Mag. Dn. Stryk. not. ad Brunn. de Jur. Eccles. L. 2. c. 18 §. 29.* Scilicet multum in hac re tribuendum est arbitrio judicis *Farinaceus in Prax. Crim. L. 1. t. 1. q. 45.* qui cautus hic esse debet, ne imprudens ad inquisitionem prola- batur, vel meticulosus illam omittat. Qua de causa optime sibi consulit, si à Collegio Prudentum petat informationem: ad quo- rum sententiam, si inquisitio suscepta judex, si modo b. f. ad Pru- dentes retulit, ab omni culpa erit immunis. *Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 10. n. 61.*

§. XXII. Specialis inquisitionis præambulum dicunt capturam *In captura* atq; ideo ea indicia ad capturam sufficere, quæ sufficiunt ad inqui- *decernen-* rendum *Carpz. q. 111. n. 25. & Brunn. c. 8. memb. 1. n. 11.* quæ tamen sen- *da.* tentia cum granofalis accipienda, si modo sc. delictū tale commis- sum, quod carcerem admittit. de quibus vid. *Carpz. Pr. Cr. q. 111. n. 5. & Br. c. 8. m. 1. n. 5.* atq; personæ conditio non repugnet. Ex quo ego colligo, posse etiam illum, quem fama vel denunciatio reum facit in carcerem detrudi, si iis casibus de quibus §. præc. dictum, semel malus antea apparuit; nisi fortasse personæ dignitas aliud svade- at, vel illa talis sit, quæ ob possessionem bonorum de fuga non est suspecta. *Carpz. d. l. n. 26.* quæ tamen omnia ad arbitrium discre- ti judicis recidunt, qui omnes circumstantias considerare, vel si ipse non satis hac in re peritus sit, vel saltem dubius, peritiores con- sulere debet. *Farinac. qu. 27. n. 126. Peint. H. D. art. 18.* Cœte- rum quæ de captura dicta sunt, etiam de eo casu accipienda, quando delinquens in ædibus suis est investigandus. Quoties enim



reumcarceri includere licet, toties etiam, si non copiam sui faciat, in ædibus suis quæri potest *l. 3. C. de Servo fugitivo* Lipold Discursu von der Hauffsuchung *C. 2.* Quod si itaque semel malus, si delictum objiciatur ei, incarcerandus erit, cur non & liceret illum in ædibus suis investigare? An autem facilius in alienis ædibus investigari possit ex illis, quæ §. XVIII. dicta judicari poterit. *C. l. 2. C. de servo fugitivo l. 12. ff. de manum ubi Paulus de Castro & Sichard. l. 13. ff. d. Off. Pres. conf. Disp. 23. Vol. 3. sub Mag. Dn. Stryk. habita c. 7. n. 13.*

§. XXIII. De incarceratione cum dictum, illud etiam non omitterendum est, quod ad scopum pertinet, sc. licet maxime aliquis relaxandus ex carcere, in quo ob delictum fuerat inclusus, dato fidejussore: attamen, si semel aufugit eum ex ipso carcere relaxari non debere. *Menoch. L. 5. Pres. 32. n. 9. & quos ibi cit.*

§. XXIV. Pertinet huc quoque quod in *art. 35. Const. Crim.* de inspectione in occultis locis habetur, quando foemina soluta de infanticidio suspecta, visa est cum utero majore postea decrescente. Quo casu constitutum, ut prudentes foeminae ad illam inspiciendam mittantur, hac tamen notabili addita cautela, si alias mala ista foemina habeatur: *Ob es eine Person sey darzu man sich der verdachten That versehen mag.* quod si autem talis non sit nec Judex etiam ad talem inspectionem citra injuriam poterit pervenire. *vid. d. Disp. 23. Vol. 3. c. 7 n. 53. D. Stryk. de J. Sensuum D. l. c. 1. n. 49.*

*In tortura  
decernenda.*

§. XXV. Gravius autem quæsitum est, num ex præsumptione hac nostra in causis alias ad torturam aptis, tormentis reus subijci possit, si alia non adsint delicti indicia. Sane quæstio est fragilis res, & periculosa, quæ veritatem fallit. Nam plerique patientia sive duritie tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi illis veritas nulla possit, alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint. *l. 1. §. 23. ff. d. Quest. Quid? quod gravissima injuria infertur, si præter jus & fas carnifici excrucians innocens tradatur. Maxima itaque prudentia opus est, ne mitior neve severior judex, quam par est, existat, sed ut studiose inquiret, quam nam vim indicia habeant: non enim levia, sed maxime urgentia hic requiruntur. Carpz. quest. 120. Rer Ord. Crim. art. 18. 24. 27. & seqq. Crusp. 4. C. 37. n. 13.*

§. XXVI.



§. XXVI. Qui de indiciis commentati sunt, alia faciunt indicia incerta & verisimilia, alia autem certa & propinqua, hæcque omnibus delictis communia vel peculiaria. In certa & verisimilia per se nunquam sola ad torturam sufficere possunt, bene tamen illa, quæ certa dicuntur atque propinqua, quæ alias à Dd. præsumptiones dicuntur, cum illa nomine indiciorum speciali significato venire soleant. vid. *supr. c. 2. §. 7. Farin. L. 1. q. 37.* Quod si itaque quæras, ad quænam axioma nostrum referendum sit, responderim: ad certa & incerta; communia & specialia suo modo referri posse. Supra enim sæpius monitum fuit modo axioma nostrum fortem præsumptionem præbere, modo etiam leviolem saltem, & suspicionem, modo etiam omnibus delictis esse communem, modo uni propriam. Imo si maxime in causis civilibus præsumptio hæc nostra pro forti habetur, tamen in criminalibus causis ubi de tortura agitur, vim suam quodammodo amittere, non abs re dicendum erit. Interim tamen illos fallere Dd. puto, qui ex sola hac præsumptione sine aliis adminiculis nunquam torturam decerni posse sibi persvadent, ut faciunt multi à *Farin. q. 23. relati n. 22.* quod ex sequentibus clarius apparebit.

§. XXVII. Ita ergo habendum esse puto. (1) *Regula I.*  
*unus vel plures malitiæ, de quo vel de quibus constat, propinque ordinati sunt ad delictum, cujus reus arguitur perpetrandum, vel promovendum, toties hic sine alio concurrente indicio tortura subijci potest.* Ratio est, quoniam tali casu fortissima habenda præsumptio, cum maxime credibile sit, illum qui delictum inchoavit, vel media ad illud perpetrandum adhibuit, etiam nihil non fecisse, ut finem plenum obtineret. *Conf. dicta c. 2. §.* Exemplum est in *art. 40. Ord. Crim.* secundum quem ille torturæ subijci potest, qui scienter & dolo malo facinorosis auxilium & præsidium præstitit. Alia exempla huc pertinentia ex *§. XVIII. c. 2.* peti possunt, & quidem ea, quæ de nixu copulæ, & reali coitu in medium ibi sunt producta. Referunt etiam ad hunc censum Dd. Si utræque repertæ sunt visæque jacentes nudæ, cum in lecto sic jacens non venisse præsumatur causa agendi poenitentiam vel delendi peccata, ut ait *Johann. de Andre: in n. 6. c. ex literis X. de præsumpt. Ex c. vid. apud Masc. L. 1. C. 59. n. 12.* Si vir solus cum sola reperiatur in cubiculo clauso, dispo-



dispositus ad coitum, & caligas habens solutas, ipsaque foemina aperire ostium recusaverit. *Mascard. d. probat. Vol. 1. concl. 59. n. 10.* aut quando mas cum alterius uxore sola visus fuit per nemora & vias occultas spaciari, & simul ipsam exosculari luxuriosoq; tactu & amplexu lascivo circumplicare. *c. ex literis 12. X. de presump. Farin. p. 5. q. 136. n. 153.* Quoniam autem hujusmodi actus, qui per se mali quidem sunt, non ita proxime ad adulterium ordinantur, ac praecedentes, sine dubio remissior gradus hisce quam illis casibus erit locus. Caeterum solum osculum luxuriosum sive libidinosum in primis saltem amoris lineis consistens, ad torturam nequam sufficere, late & recte quidem docet *Harpr. §. 4. J. d. publ. Jud. n. 61.* Porro si in tumultu quis occisus atque unus visus est, qui cultro vel aliis armis occisum petierit der verdächtige bey den schlagen mit den Entleibten widerwertig geweest/ auff denselben gestochen/ gehauen/ oder sonst mit gefährlichen Streichen geschlagen etc. torturae est subjiciendus. *a. 34. v. Crim.* Referunt huc etiam *Dd.* illum casum, quando aliquis comminatus fuit: se Titium occisurum, & ille postea & quidem mox occisus reperitur, quo casu indicium hoc ad torturam sufficiens esse volunt *Speculator in tit. de presump. obs. 9. in vers. sed bona Panormit. in c. scribam §. in c. literas de presumptionibus Gail. L. 2. à quibus tamen recedit Job. Andrea in notis ad Speculatorem d. l. cujus sententia Ordi. Crim. art. 32.* quam maxime est conformis. Nam secundum eam unus actus malitiae in minis consistens, non sufficit, sed alius adhuc requiritur, cum homines nihilo minus saepe faciunt, quam quod minas ex ira prolatas exequantur. *arg. t. quod dicitur X. de V. S. Ideoq; Carol. V. voluit,* ut non citius quaestioni sit locus, quam si constet minantem esse talem personam, in quam suspicio cadere potest. *Carpz in Prax. Crim. quest. 121. n. 50. Conf. Farinat. q. 50. De inimicitia. vid. idem q. 49.*

**Regula II.**

§. XXVIII. Quotiescunque actus malitiae propinque ordinati sunt ad delictum commissum occultandum vel supprimendum toties quaestioni sine alio indicio locus esse potest. Ratio quia & haec praesumptio maxime urgens est, & magnam connexionem cum delicto habet. *vid. c. 2 §. 31. art. 40. const. Carol. V.* Oder so einer die Thäter wissentlich und gefährlicher Weise ähet oder träncket/ auch die Thäter oder obgemeldt unrecht Gut gar oder zum Theil wissentlich



wissentlich annimbt heimlich verbirgt herbergt verkaufft oder ver-  
treibet. Quorsum etiam pertinet, quod in §. sequ. habetur, si  
quis captivos è custodia elapsos recipiat & occultet. *conf. Carpz. d.*  
*q. 132. ubi n. 63. ratione prioris casus limitationem habet. Eodem*  
*modo huc spectat casus in art. 37. Const. Crim. ubi is, qui venenum*  
*se emisse negat, compertum tamen est comparasse illum venenum,*  
*mendacio hocce suo id sibi efficit, ut quæstioni subjici mereatur.*  
*Huc porro pertinet quod Carpzovius de magna variatione habet.*  
*p. 3. q. 1. 20. 11. 7. 9. & de insigni mendacio Farin. q. 52. Aliter au-*  
*tem de eo dicendum erit, qui delicto saltem non obviam ivit, cum*  
*obviam ire potuisset, vel non detulit reos. de qua re vide Farin.*  
*q. 52.*

§. XXVIII. III. *Quotiescunque actus unus vel plures mali-*  
*tia consistunt in participatione dolosa lucri ex delicto ab aliis commis-*  
*so, toties participans suspicionem ejusdem criminis tortura purgare*  
*debet art. 40. Const. Crim. verb. item so einer wissentlich und ges-*  
*fährlicher Weise von geraubten oder gestohlenen Gute Beute*  
*oder Theil nimbt &c. ist auch eine Anzeigung peintlich zu fragen*  
*junct. rub. ante art. 33. ibi und ist ein jeder articul &c.*

§. XXIX. Atque hi sunt illi ferè casus, in quibus torturæ locum  
esse ob nostram præsumptionem putamus: si illa elidi nequeant, de  
qua re *vid. Crus. p. IV. c. 23. & Dd. cit. passim præf. Masc. C. 59.* Ubi  
tamen neutiquam arbitrium judicis exclusum volumus, quippe  
qui & hic omnia diligenter scrutari, & prout religio suggerit, ju-  
dicare debet. Ad cujus etiam religionem spectat arbitrari, num  
facta ex quibus præsumptio hæc orta sufficienter, & vel per  
confessionem rei, vel alias sint probata. *vid. Carpzov. p. 3. q.*  
*123. n. 43.* It. an præsumptio hæc solam territionem verbalem,  
num ipsam torturam & quem ejus gradum mereatur. De qua re  
ita forte dici potest: Quo proximior actus malitiæ ordinatus  
ad delictum committendum vel occultandum, vel quo majus lu-  
crum perceptum ex alieno delicto est, vel quo major dolus ap-  
paret, vel etiam quo plures actus malitiæ sunt commissi, eo a-  
crius etiam potest aliquis torqueri *Farinac. q. 23. n. 25.* Quæ cer-  
tè omnia ita comparata sunt, ut regulâ universali comprehendere  
impossibile sit. Novimus à Facultate Juridica Witteber cum pe-  
nes famulum cujusdam mercatoris, clavis adulterina cistæ pecu-  
nariæ

H

nariæ



niaræ in taberna repositæ reperta, illeque factus esset, se aliquod grossos exista cista militi cuidam dedisse, negaret tamen aliud quid furatum esse, Dominus autem jurasset certam summam pecuniæ esse ablatam, respondisse: inquisitum mediantibus forcipibus esse interrogandum mense Junio An. 1692.

§. XXX. In reliquis autem omnibus casibus, ubi nostrum axioma vim exerit, non putamus, aliis indiciis non concurrentibus locum esse torturæ: siquidem de illis LL. tacent, sine quibus loqui erubescere debemus. *Nov. 18.* & imbecilliores sunt iis de quibus fuit dictum. *Far. qu. 37. n. 11.* Et si ex hac sola præsumptione Judices possent semper reos tormentis subicere, nimis latas haberent habenas, quod non est permittendum, propter imperitiam multorum ut loquitur. *Clarg. in Pr. q. 64. vers. sed pone atq;* hac de causa recte docet *Masc. Conclus. 222. n. 21.* reum furti cui testes objiciunt, illum esse homicidam vel incendiarium &c. non posse ob furtum quæstioni subijci, nisi alia occurrant indicia, cum *Felino in c. fin. X. de præsumpt.* Quorsum pertinet quod *Thom. Grammat. Decis. 25. n. 7.* habet, verberare atque alapas dare consuetum, si de homicidio accusetur, habere quidem contra se indicium ad capturam sufficiens, non verò ad torturam. *Conf. Tuscb. Conclus. 27. lit. m.* Quamvis autem *Mascardus Conclus. 1006. n. 55.* doceat, quod iudex si plures in rixa fuerint, & unus occisus, possit ad torturam contra illum pervenire, qui simile delictum perpetravit, cum *Alciat. Reg. 2. præsumpt. 7.* attamen, si hoc admittamus, & æqua lance hanc rem trutinemus, facile apparet, non ob simile delictum solum, & sic unicum actum malitiæ, & quidem ad præsentem casum non propinque ordinatum hic quæstioni fieri locum, sed quia alias actus illicitus & ordinatus ad hoc homicidium quodammodo nempe rixa simul concurrat, cujus autor hic etiam ob antecedens delictum præsumitur. Quæ probe observavit *Farin. q. 23. n. 23. Gail. L. 2. art. 109. n. 4. Cottm. Vol. 3. Conf. 43. n. 22.* Illud namq; certum est, si alia simul concurrant, magnum hanc nostram præsumptionem pondus conferre ad quæstioni reum subijciendum *art. 27.* Atq; hac de causa tam sæpè *Carol. V.* inculcat, ut probe ponderetur: ob der Verdächtige eine solche Person sey/darzu man sich der That versehen möchte. Exempla magno numero afferri possent, si institutum permitteret esse prolixiores. Possunt tamen peti



peti queat. 25. 31. 35. 37. 38. 39. 40. §. Wenn einer ibi dem man in  
der Sache nicht viel gutes vertrauet. 41. 43. 44. *Const. Crim.* Et hoc  
est quod *Paul. Granut. Theor. 23. n. 4.* dicit, præsumptionem ex con-  
suetudine delinquendi orientem aduersus inquisitum esse sicut her-  
bam betonicam, quia cætera contra eum non concludentia indicia  
facit haberi pro concludentibus *Farin. d. l. n. 22.* Multum tamen  
etiam confert ad rei defensionem pro auertenda tortura; si præ-  
sumptio hæc cadit in eum, contra quem, vel cum quo inquisitus pec-  
cavit, ad eorum quæ *infra §. XXXVIII.* dicentur, vel in testes qui  
contra ipsum deposuere *vid. supra §. XIV. c. III.* Quibus omnibus casi-  
bus iudex caute procedere atq; non ex cerebrina quadam iustitia, sed  
secundum analogiam juris iudicare debet. Quia verò inferiores  
pleriq; Iudices ea prudentia, quæ par est non pollent, prudenter ad-  
modum *Carol. V.* sanxit, ut vel superior, vel jurisperiti consulantur  
*art. 7. art. 28. 29. Carpzov. q. 123. n. 30.*

§. XXIX. Torturam quam spiritualem vocant sive purgatio- *De Tortu-*  
nem Canonicam, non admittere regulariter præsumptionem no- *ra Spiri-*  
stram, clarissimus text. est in *c. 1. X. d. purgat. Canon.* ubi illum, qui *tuali.*  
crimen negavit, non admittendum ad iurandum esse dicitur, qui  
antea deprehensus fuerit in furto, vel falso testimonio, vel perjurio.  
Ex quo etiam est, quod regulariter stuprum confesso ratione pro-  
missi matrimonii non deferatur iuramentum purgationis. *Carpzov.*  
*L. 3. d. 47. Decis. N. 81. ibi Philipp. vid. supra §. 16.* Interim tamen non  
excludendum hic est arbitrium Iudicis, qui æstimare potest & debet,  
an iuramento purgatorio locus esse possit. *Conf. Zes. ad tit. Decret. de*  
*purgat. Can. Speculator de except. §. 11. vers. porro & vers. sed nun-*  
*quid reg.*

§. XXX. Deveniendum tandem est ad effectum præsumptionis *In senten-*  
hujus, in sententia definitiva ferenda, quæ vel in condemnatione vel *tia feren-*  
in absolutione rei consistit. Atq; primo videamus de effectu con- *da & qui-*  
demnationis, quem omnis ille, qui actoris partes tuetur intendit. Si *dem con-*  
quæstio sit de causa civili, licet ex delicto descendat, sine dubio *demnato-*  
magnus effectus præsumptionis nostræ est, si præsertim talis sit, ut *ria, in*  
mereatur dici præsumptio juris & de jure, quæ posita ob acceden- *causa ci-*  
tem juris dispositionem reus, non potest non à iudice condemnari. *vili.*  
*l. 11. ff. de pænis.* quæ exempla aliquoties in hac disputatione sunt  
relata. Quod si verò tantum præsumptio juris sit, effectum quidem

H2

etiam



etiam condemnandi nancisci potest, nulla contraria probatione facta, non tamen semper, sed quando non levis est, verum fortis. Id quod ex arbitrio iudicis iterum dependet. *Vid. Zælius ad ff. tit. de probation. n. 20. Id ad T. Decret. de presump.*

In causa  
criminali  
(1) leviori.

§. XXXI. Si verò quæstio sit de causa criminali, quâ publicum interesse persequimur, distingvendum ante omnia erit, inter crimina leviora, quæ saltem pœnam carceris, mulctam, vel relegationem merentur; & inter crimina graviora, ratione quorum pœna capitalis vel saltem corporis afflictiva imponi potest. De illis constans est Dd. opinio, reum de ejusmodi crimine inculpatum præsumptionibus violentis gravatum, licet delictum neget, pro arbitrio iudicis puniri posse *arg. c. testimonium X. de testib. Alciat. de præsumptionibus reg. 2. presump. 9. Carpz. Prax. Crim. q. 116. n. 51.* In illis ergo casibus, ubi nostra præsumptio pro violenta haberi potest, quod iudicis est arbitrari, vel ubi alia indicia concurrunt, nullum dubium est, quin huic Dd. asserto locus esse possit. Violenta autem in ejusmodi casibus sine dubio erit, in quibus antea ob solam hanc præsumptionem torturæ locum esse, fuit dictum. Et multo magis pro violenta erit habenda à iudice, si lex talem agnoscat & ob id pœnam imponat, quæ exemplum est in *l. fin. ibi: Et quasi suspecti ab officio removebuntur, Et pœnis legitimis, quæ contra eos interminata sunt, subjacebunt. C. Arbitr. tutel.* quorsum etiam referenda est illa præsumptio, quæ à parentibus ad liberos desumitur *l. 5. C. ad L. Jul. Majest. de qua supra actum.*

(2) Graviori.

§. XXXII. Quoad graviora autem delicta certum est, pœnam capitalem vel corporis afflictivam, ex præsumptionibus non esse statuendam, sed facere has quidem indicium ad torturam, non autem sufficere ad condemnationem. *l. fin. C. de probationibus. Ord. Crim. art. 22. cap. nullus X. de præsumpti c. cum contumacia. de Hæretic. in 6to Julius Clarus in Pract. Crim. §. ult. quæst. 20. Timq. c. 27. de pœn. mitig.* ex quo fluit, in ejusmodi causis ex axiomate nostro neminem esse condemnandum: sed saltem pro re nata torturæ corporali, vel spiritali subjiciendum. Est tamen, & ubi hoc fallit. Quod si enim post secundam vel tertiam torturam nova indicia occurrant ad torturam non sufficientia, vel si per statutum ulterior tortura non permittitur. *Constit. Elect. non Edit. 9.* vel etiam si confessio ante torturam aliquoties facta, & semper revocata fuerit: in casibus pœnam quandam extraordinariam posse infligi cum *Carpz. q. 116. n. 55.* nulli dubitamus



mus Menoch. L. 1. C. 97. Zæsius in fin. tit. D. de præsumpt. Anto. Matthæi de crim. L. 15. c. 5. & quidem pro re nata etiam corporalem, ut recte sentit, Matthæi d. l. quicquid dicat. Farin. q. 86. n. 78. Conf. Brunn. ad l. fin. C. de probat. qui tamen prægnantissima his casibus indicia requirit, putat autem iis contingentibus, tutius statim ad pœnam extraordinariam esse confugiendum, quam reum torturæ subjiciendum, cum hæc elidi possit, & sic crimen impunitum relinqui. Imò quotiescunque lex quædam expressa adest, quæ adeo violentam habet hanc præsumptionem, ut ob eam pœnam capitalem vel corporis afflictivam statuatur, sequi illam, officio judicis incumbit. l. 11. de pœnis. Exemplum huc pertinens ex l. 34. C. ad L. Jul. de Adult. jam supra à nobis fuit relatam. Zæsius d. l. n. 125. Harpr. ad Inst. de publ. jud. §. 17. Aliud exemplum in Nov. 117. c. 15. pr. occurrit, juxta quam ille, qui cum alterius uxore post tres denunciations scriptas inventus fuerit colloquens idque tribus testibus fide dignis probari queat, judici tradi potest, & ex hoc solo tanquam adulterii reus potest puniri. Quamvis B. Brunnem. quest. 24. tit. ad L. Jul. d. Ault. putet ejusmodi casibus tutius pœnam extraordinariam irrogari. Wesemb. & Bachov. d. t. n. 17. Menoch. L. 1. A. 7. Quest. 94. Conf. Farin. q. 136. n. 4. Rittershus. in N. §. 16. c. 5. n. 2. penes quos duos posteriores alia similia exempla habentur.

§. XXXIV. Interim tamen certum est, esse & in ipsa condemnatione maxime nostri axiomatis locum, ita nempe, ut vel excludat interdum spem veniæ, interdum aggravet pœnam, interdum illam minuet. Quotiescunque itaque hæc nostra præsumptio cadit in ipsum delinquentem, toties tollit spem veniæ, atque eo magis, si aliquoties quis malus fuit. l. 3. in fin. C. de Episcopat. Audient. l. 3. §. 9. ff. de re militari cap. unum orarium §. criminis d. 15. Tiraquel de pœnis temperand. caus. 10. n. 5. & caus. 42. n. 14. In eo enim homine qui peccatum reiterat, vel parva, vel nulla spes est emendationis l. 16. §. fin. ff. de Pœnis l. 28. §. 3. ff. eod. Gr. d. Jur. B. & P. L. 2. c. 20. a. 7. Exempl. huc pertinens ex Const. Crim. art. 160. & seq. præfertim autem 162. peti potest, secundum quam legem ille qui tertia vice furtum commisit, sive fuerit magnum sive parvum (als ein verleurnder Dieb) suspendio puniri debet. Farin. q. 23. n. 3. Quamvis in Sax. & hic justa quantitas requiratur. Carpz. quest. 78. n. 76.

§. XXXV. Quotiescunque delinquens semel aut aliquoties malus fuit, toties pœna arbitraria, iterabilis & compatibilis augeri, vel multiplicari potest l. 28. §. 3. & §. 10. ff. de pœnis: ita ut etiam ad mortem extendi



tendi possit. *d.l. 28. §. 3. & 10. l. 3. C. de Episcop. audient. l. 8. C. ad L. Jul. de vi publ. Ant. Gomez. tit. de delictis c. 3. n. 60. Carpz. q. 62. n. 61. seqq. Farin. q. 23. late agens.* Quo peior enim ille est, qui deliquit, eo gravius puniendus: & quo majus est malum culpæ, eo majus debet esse malum pœnæ. Hæ enim delictis debent esse conformes, & illis crescentibus etiam crescere. Et quamvis in illis casibus, ubi pœna ordinaria reiterabilis non est (v. c. in adulterio pœna capitalis) assertio hæc non habeat locum, atque ob hanc causam foemina quædam, quæ vivente marito 107. personis sese prostituerat, & maritus quidam, qui se plus quam centies cum ancilla sua concubuisse confessus fuerat, non alia pœna, quam gladii fuerint affecti teste *Carpz. d.l. n. 65.* (in hujusmodi enim casibus ubi pœnæ iterabiles non sunt, veluti si pro singulis delictis pœna mortis imponi debeat, una, absorbet aliam, nam non nisi semel reus mori potest. *conf. l. 29. §. sex mensium ff. ad L. Jul. de A. dult. Reusn. l. 2. decis. 20. n. 16.* Quotiescunque tamen atrocitas delicti adest, toties pœna ejus qui semel vel aliquoties malus fuit exasperari potest. Sic e. c. si latrocinium cum aliis delictis atrocibus & horrendis fuerit perpetratum vel aliquoties distinctis *Carpz. p. 1. q. 24.* vicibus commissum, vel plures personæ unius spoliis causa occisæ: ejusmodi casibus reus trahæ illigatus ad supplicium rapi, vel forcipibus candentibus prehendi, & aduri potest. *art. 130. 137. Const. Cr. id quod etiã tunc locum habet, si veneficium reiteratũ, & homines plures distinctis vicibus necati fuerint d. art. 130. de qua re vid. late Carpz. q. 20. n. 46. q. 23. n. 6. seq.*

§. XXXVII. Pertinet & huc similis observatio: *Quotiescunque, ex actus malitie sequi potuit delictum, toties eo commisso hujus delicti pœna locum habet, licet delinquens dicat animum sibi non fuisse delictum hoc committendi.* Quando n. aliquis in actu illicito versatur, de omni sequiori exitu obligatur, atque tum ex eventu judicatur animus ejus, qui factum illicitum patravit *l. 6. C. de vi publ. ubi Salicet & alii Dd.* Sic e. g. si abortionis, aut amatorium poculum datum fuerit, & inde vel mulier aut homo sive mas sive foemina perierit, supplicio summo dans afficitur. *l. 38 §. 5. ff. de pœnis.* Eodem modo, si quis hominẽ vulnerare voluit, & inde ille mortuus sit, homicidii reus, & pœnæ capitalis candidatus sine dubio erit. *Carpzov. p. 1. q. 1. l. 15. junct. l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Quid? quod jure Civili ille qui hominis occidendi, furti faciendive causa cum telo ambulaverit lege *Cornel. de Sicar. tenetur l. 1. ff. b. t.*

Minuit  
pœnam

§. XXXVIII. *Quotiescunque autem presumptio hæc cadit in illum,*



lum, contra quem vel cum quo aliquis deliquit, toties minuit pœnam illius, qui deliquit. Rat. quoniam tali casu delinquenti occasio ab altero data præsumitur, sicq; delinquens non tam ex animo deliberato peccasse vel consensisse videtur, quam provocatus, lacesitus, vel seductus. Sic e. c. pœna ordinaria adulterii cessabit, si maritata semel mala fuit atque saltem adulterium antecedens præsumptive probari possit. *Dd. ad L. 22. de Adult. in Nov. 39. §. 2. Carpz. p. 2. q. 57. n. 74.* Eadem ratione si occisus conveverit rixas excitare contra illum præsumptio est, eum autorem fuisse rixæ. *Const. Crim. art. 143. l. 11. ff. ad L. Aquil. Farinac. quest. 175. n. 118. l. 203. de R. J. l. 1. §. 3. ad L. Cornel. d. Sicar.* atque sic mitius agendum erit, cum eo, qui provocatus non potuit temperare justum dolorem *l. 38. ff. ad L. Jul. de Adulter. Mascard. conclus. 72. n. 14. & concl. 131. n. 25.* Porro si mulier abducta & cognita alias malæ frugis fuit, vel deflorata, vel tacta ab aliquo, vel saltem lasciva oscula passa est, non locus esse poterit pœnæ ordinariæ raptus vel stupri violenti, de qua in *l. unica C. de Rapt. virg. & Ord. Crim. art. 119.* agitur. Id quod ipse hicce textus verbis einer unverseumden Ehefrauen Wittwen oder Jungfrauen &c. satis indicat *conf. Alciatus reg. 2. præf. 9. n. 2. Tusch. concl. 217. lit. d. Fachin. L. 1. contr. 7. n. 5. Ayres Proceß: historic. c. 7. obs. 8.*

§. XXXVIII. Quotiescunq; autem hac præsumptio contra illum, usus quo in quem delictum commissum, valde vehemens est, toties operari potest ad sententiam plenariam absolutionem, si præsertim legis accedat dispositio. Ratio ex antea dictis facile apparet. Exemplum in *Nov. 117. c. 15.* exstat, ubi is excusatur qui præsumptum adulterum post trinam denunciationem re-  
pertum apud uxorem in sua domo, aut ipsius uxoris, aut adulteri, aut in popinis, aut in suburbanis occidit. Alia vero quæstio est, num occidens in Conscientiæ foro absolvatur. Quod negatur, *c. si quod verius. c. 33. q. 2. Covarr. de Matr. P. 2. c. 7. n. 15. seq.* Aliud exemplum est, in casu, si cum moderamine inculpatae tutelæ aggressorem aliquis occiderit. Nam si quis alterum ita aggrediatur, ut constituatur hic in periculo vitæ, ex hoc actu malitiæ præsumitur, illum certò esse occisurum, atque sic aggressus non debuit expectare exitium sibi imminens. *a. 139. Const. Crim. Carpz. q. 32. per tot. 1.*

§. XXXIV. Quemadmodum autem hoc in criminalibus locum invenit, ita multò magis in civilibus obtinet. Sic si quis incedentem habitu  
me-

In civilibus

me-



*Operatur  
refusio-  
nem ex-  
pensarum.*


meretricio meretricem dicat, non tenebitur actione injuriarum. *Speculator tit. de Injur. §. 1. n. 3. vers. item si te dixi meretricem.* Ultimo loco illud notandum, præsumptionem hanc, si in reum cadat, etiam si ad condemnandum non sufficiens sit, tamen operari posse, expensarum restitutionem. Fallum enim est quod sibi pleriq; in Foro versantium persuadent, inquisitum absolutum à pœna, absolvi etiam statim ab expensis. Nam si quando aliquis facto suo illicito aut suspecto, & sic uno etiam actu malitiæ, nedum pluribus occasionem Judici ad inquirendum dederit, iniquum sane esset, hunc, si absolutio sequatur, onerari sumptibus inquisitionis, cum non pro lubitu, sed ratione officii susceperit inquisitionem. Æquum v. est, si id quod sua culpa merito est, sentiat damnū inquisitus. E contrario si nullo facto suspecto & illicito causam dederit inquisitioni, ob denunciationem tamen, aut testimonium alterius ad condemnandum non sufficiens inquisitioni fuerit irretitus, iniquum esset, afflicto addere afflictionem, & onerare illum expensarum restitutione. Sed potius tali casu onus hoc ad judicem pertinebit, ut ipse sumptus inquisitionis ex officio susceptæ ex officio quoque ferat; ob quam causam & ipse fructibus Jurisdictionis gaudet. Ex his patet, nihil ad rem facere in quæstione expensarum, an inquisitus præstito juramento purgatorio, an absque illo fuerit absolutus; sed potius respiciendum esse ad causam facto quodam illicito vel suspecto datam inquisitioni. In qua sententia nobiscum sunt *Vallens. ad tit. Decret. d. purgat. canon. in fin. B. Dn. Brunn. in Process. inquisit. c. 9. §. 2. & 6. D. Struv. S. J. C. Ex. 17. tb. 49.* atq; in Collegiis Witteberg. receptam eam esse sequentes testantur rationes decidendi Sententiæ cuidam M. Julio 1692. adjectæ: Nach dem ermeldte N. in die wider sie streitende Indicia durch den Vereini- gungs Eydt abgelehnet/ so hat nicht anders als auff derselben abso- lution gesprochen werden können. So viel die Unkosten betrifft/ so mögen selbige weder dem Denuncianti, als welcher ad inqvirendum zulängliche Indicia suppeditiret/ noch der Denunciatæ, weil selbige durch kein factum illicitum zu solcher Inquisition Anlaß gegeben/ sondern nur durch andere præsumptiones graviret worden/ auffge- bürdet werden/ wannenhero dieselben als ein onus Jurisdictionis billich zu übertragen. Es werden aber hiervon die jenigen/ so jedes Theil auff die eingegebene Defension und andere Schrifften auff- gewendet/ ausgenommen/welche von den jenigen/ so sie verur- sachtet/ abzuführen. Sed manum de tabula!

S. D. G.












X.26159.11


VD17











B.I.G.

Farbkarte #13

B. V.

1692 M 34.  
100

MALUM

13

MALUM,

ioribus factâ,

IDE

ARO HEN-

ORNIO (8)

uriae Electoral. Scabinatus  
dic. Assessore,

ore suo omni hono-  
rio colendo

et  
NO M D C XCII.

RESPOND.

LEUPOLDUS

ib. Lusat.

BERGÆ,  
MELIS GODERITSCHII.